1065.
Donum auctoris.

# DIATRIBE

IN

# CIVITATES ANTIQUAS.

AUCTORE

PHIL. GUIL. VAN HEUSDE

MDCCCXVII.

D E

# ANTIQUARUM CIVITATUM

ORIGINE.

*A Jove Musarum primordia —*

*Cicero, carmine Arateo.*

Fuit haec antiquitus rudiorum hominum conditio, ut separatim viverent per tribus et familias dispersi. Vici ubivis aderant: aderant urbes, certe arces et moenia, quo securitatis caussa se recipiebant. Habebant principes suos, quos, ut duces, in bello sequebantur, et, tamquam judices magistratusque, in pace consulebant. Sed, quamquam ita prima aderant cum πολέων, tum βουλευτήριων initia; deërat tamen societas quae civilis seu politica dicitur, deërant civitates, deërant Respublicae.

Ut rite indagemus civitatum cum originem, tum naturam, observandum videtur, quomodo tribus et familiae, ita a se invicem discretae, coalescere, certe conjungi coeperint.

*Conjungi coeperunt communibus sacris.*

Ubi templa aderant, aderant item festa: et novimus, quantum fes-

festa appetat natura humana. Confluebant sponte populi, ut una sacrificarent, una convivia celebrarent, una saltarent, luderent, una fruerentur summis vitae deliciis. Explicabantur ita animi ad hilaritatem, ad concordiam, ad mutuam amicitiam. Oblivioni mandabantur simultates, injuriae, inimicitiae, quae inter familias et gentes exstiterant Exsules subinde revocari, malefici etiam carcere liberari solebant. Effundebantur adeo animi ad benivolentiam, misericordiam, liberalitatem, virtutes omnes. Gaudii erant omnia et laetitiae plena, et communi hac omnium hilaritate omnes mutuo conciliabantur.

Festis hisce temporibus sponte immutabatur gentium vita. Domi separatim vivebant, hîc vero una vivebant omnes: domi deërant ἀγοραὶ βουληφόροι, hîc vero πανήγυρεις celebrabantur.

Arctissima antiquitus fuit mercaturae cum rebus sacris conjunctio. Nec mirum. Laeti convenerant omnes, et erectis animis admirabantur simulque appetebant quaecunque in aliquo genere insignia et admirabilia essent allata, vestes pretiosas, corporis ornamenta, gemmas, conchas, negotia ex auro argentove confecta: nec appetebant minus quae gustui placerent, pharmaca, aromata, fructus exquisitiores. Gestiebant festa celebrare ornamentis illis conspicui: gestiebant in festorum memoriam domum illa referre: mirifice delectabantur dapibus omnibus et rarioribus et delicatioribus. Tristis homo spernit omnia; sed quo quis est laetior et hilarior, eo vehementius omnia solet appetere. In summa illa festorum hilaritate omnes acuebantur sensus ad vitae delicias percipiendas.

Ita factum, ut nulla haberentur apud Graecos festa, quin celebrarentur etiam πανήγυρεις. Sponte enim illam hominum frequentiam

tiam adibant mercatores: et vero ipsae tribus, e variis terris oriundae, sponte etiam ad res suas mutuo communicandas permutandasque erant pronae. Et mutuo hocce commercio, unusquisque videt, quantopere omnes secum invicem conciliari debuerint.

Juvat saepenumero considerare, quantum valuerint festa ad homines excolendos. Rudes populi separatim viventes, ignavia et torpore premuntur, neque excitantur nisi odio et vindictae studio in finitimos suos. Sed oculos convertamus ad festa v. c. Olympia. Honoris illic certamen committebant quicumque in Graecis vel corporis robore vel membrorum agilitate excellebant. Praeclara spirabant omnia certatores: et qui aderant, qui spectatum venerant, eodem omnes incalescebant ardore. Conciliabantur animi generosa aemulatione et optimarum rerum studio. Sed excitabantur etiam omnes, ut si quid efficere arte possent, illud ad Deos celebrandos spectatoresque exhilarandos conferrent. Quotquot erant in Graecia architecturae, sculpturae, statuariae periti, ad ornanda inprimis Deorum templa miras has facultates adhibebant. Quo factum, ut templa evaderent artium harum praestantissima monimenta et fere miracula. Ut quisque excellebat maxime musicâ, poësi, literis, ita studiosissime festis intererat. A sacris ibi choris et hymni cantabantur, et dramata agebantur, et accedebat saltatio, quae magis etiam musicam et poesin quasi laetificabat. Athenis adeo musica habebantur certamina, quae optimos quosque poetas gloriae studio inflammabant: unde tragoediae ortae sunt et comoediae. Et qualecunque quis opus parasset, sua omnia certatim expromebant omnes: Historiae adeo libros publice Olympiis legebat Herodotus. Fieri omnino non poterat, quin hac hominum celebritate, hac mutua omnium aemulatione, hac hilaritate

tate et vere festivâ laetitiâ, cum animi hominum diffunderentur, tum ingenia explicarentur, tum artes etiam quaeque majores et invenirentur et proveherentur. Ut conjungebantur mutuo, festorum opportunitate, Graeci, ita simul excolebantur. Et constat inter omnes, valere in primis cultum ad jungendam stabiliendamque societatem.

## *De Amphictyonibus.*

Rogat apud poëtam (1) Delphusa Apollinem, ut templum condat in Crissa ad Parnassum. Ita adducent, inquit,

Ἰηπαιήονι δῶρα
Ἀνθρώπων κλυτὰ φῦλα· σὺ δέ φρενας ἀμφιγεγηθὼς
Δέξαι ἱερὰ καλὰ ΠΕΡΙΚΤΙΌΝΩΝ ἀνθρώπων.

Templi fundamenta jacit Apollo: tum

Ἀμφὶ δὲ νηὸν ἔνασσαν ἀθέσφατα φῦλ' ἀνθρώπων
Κτιστοῖσιν λάεσσιν, ἀοίδιμον ἔμμεναι αἰεί.

Patet e paucis his versibus Amphictyonum origo et ratio. Ἀθέσφατα φῦλ' ἀνθρώπων, innumerae hominum gentes circumcirca templum struxerunt Apollini, ut celebre esset semper. Dona continuo Apollini adduxerunt ἀνθρώπων κλυτὰ φῦλα. Ipse autem Apollo animo gavisus pulcra sacra accepit περικτιόνων ἀνθρώπων.

Apud

---

(1) Hymn. in Apoll. vs. 272.

Apud Homerum circumhabitantes populi περικτίονες dicuntur (1). Usu deinceps receptum, ut vocarentur ἀμφικτίονες sive ἀμφικτύονες. Et prouti antiquitas omnibus omnino rebus, sponte etiam obortis, auctorem et quaerit et fingit, ita Ἀμφικτύονα quemdam informarunt, qui societatum istiusmodi sacrarum auctor fuisse perhiberetur. Aliter hac de re alii existimarunt; sed nobis sufficiat, ex hocce vetustissimi poëtae sive Homeri sive Homeridae loco περικτιόνων ἀνθρώπων et Amphictyonicarum societatum originem et rationem deduxisse.

Ubicunque in Graecia templa aderant, cernebantur ibi etiam homines, familiae, tribus, populi circumhabitantes, περικτίονες ἄνθρωποι, qui communibus celebrandis festis ad vitae quandam societatem jungebantur. Hujusmodi erant societates, quae in Asia minori, in insulis maris Aegaei, in Aegypto inferiore, in ipsa in primis Hellade exstabant. In Asia minori celebre erat templum, Πανιώνιον dictum, quippe quod πάντας conjungebat Ἴωνας, de quo ita Herodotus (2): Τὸ δὲ Πανιώνιον ἐστι τῆς Μυκάλης χῶρος ἱρὸς — κοινῇ ἐξαραιρημένος ὑπὸ Ἰώνων Ποσειδέωνι Ἑλικωνίῳ· ἡ δὲ Μυκάλη ἐστὶ τῆς ἠπείρου ἄκρη — ἐς τὴν συλλεγόμενοι ἀπὸ τῶν πολίων Ἴωνες, ἄγεσκον ὁρτὴν, τῇ ἔθεντο οὔνομα Πανιώνια. Ut templum hoc, ita magis etiam festum conciliabat Jones. Εἰσὶ δὲ πάντες Ἴωνες, idem ait Herodotus (3), ὅσοι ἀπ' Ἀθηνῶν γεγόνασι καὶ Ἀπατούρια ἄγουσι ὁρτήν.

Sed in medio maxime mari Aegaeo templum erat, quod Jones omnes tam in Asia, quam in insulis, ipsos etiam Athenienses, communi cultu conciliabat.

Ἔνθα

(1) Pariter apud Herod. VIII. 104. Cf. Hesych. & Suid. v. Ἀμφικτ.
(2) Herod. I. 148. (3) Id. I. 147.

Ἔνθά τοι ἑλκεχίτωνες Ἰάονες ἠγερέθονται,
Αὐτοῖς σὺν παίδεσσι καὶ αἰδοίῃς ἀλόχοισιν.
Οἱ δέ σε πυγμαχίῃ τε καὶ ὀρχηθμῷ καὶ ἀοιδῇ
Μνησάμενοι τέρπουσιν, ὅταν στήσωνται ἀγῶνα.
Φαίη κ' ἀθανάτους καὶ ἀγήρως ἔμμεναι ἀνὴρ,
Οἱ τότ' ἐπαντία σεῖό τ' Ἰάονες ἀθρόοι εἶεν. (1)

Jones, ut quoquoversus colonias emiserunt, ad Pontum Euxinum, in Italiam, in ipsam Galliam: ita habitatum etiam cesserunt, Amasidis tempore, in Aegyptum inferiorem. Naucratim iis incolendam permiserat Aegypti Rex; sed ipsi sibi sedes eligebant. Docet autem nos Herodotus (2), quomodo ibi civitates condiderint. „ Quicunque, ait, nolebant Naucratim se conferre, his ἔδωκε χωρίοις ἐνιδρύσασθαι βωμοὺς καὶ τεμένεα θεοῖσι. Maximum igitur illorum templum et celeberrimum, maximeque frequentatum, quod *Hellenium* nominatur, communi consilio sumtuque statuerunt hae civitates: ex Jonibus Chius, Teos, Phocaea, et Clazomenae: ex Doribus Rhodus, Cnidus, Halicarnassus et Phaselis: ex Aeolibus sola Mitylenaeorum civitas. Horum est hoc templum, haeque civitates constituunt praesides emporii. — Praeter illud vero templum seorsim Aeginetae statuerunt Jovis fanum: et Samii aliud Junonis: tum Milesii, Apollinis." Ita βωμοὶ et τεμένεα initia illic fuerunt societatis, mercaturae, coloniarum, civitatum. Et vero communibus illis sacris festisque jacta videntur veluti fundamenta, quibus postea aliquando superstrueretur *Alexandria.*

Sa-

---

(1) Hom. Hymn. in Apoll. vs. 147. (2) Herod. II. 178.

Satis diximus de ratione, qua primum invicem conjungi coeperunt homines et tribus. Accedamus jam ad ipsarum originem *civitatum*. Ex his, ni fallor, principiis earum explicari tota ratio debet: nam

### *Erant civitates antiquae societatum Amphictyonicarum instar.*

Nulla memoratur antiqua civitas, in qua non continuo deprehendamus *περικτιόνων ἀνθρώπων* conditionem. In omnibus cernimus templa vel loci sublimitate, vel aedificiorum altitudine et majestate insignia. In omnibus videntur cives quasi in templorum ambitu habitare, et, statis temporibus, prorsus *περικτιόνων* instar, una eo convenire et communiter festa celebrare.

Thebis, Spartae, Corinthi, Athenis, Romae sublimi loco, in ipsa arce, condita erant templa: circumhabitabant cives. Legamus celebrem Thucydidis locum de Theseo, altero illo Athenarum conditore. Ut Cecrops sacris institutis Atticos homines mutuo conciliaverat, ita Theseus vere civitatem condere studebat (1). „ Ante eum *ἡ ἀκρόπολις ἡ νῦν οὖσα, πόλις ἦν, καὶ τὸ ὑπ' αὐτὴν πρὸς νότον μάλιστα τετραμμένον.* Hujus autem rei manifestum argumentum hoc est. Nam in ipsâ arce sunt et aliorum Deorum delubra, et quae sunt extra, ab hac urbis parte potissimum sita visuntur, Jovis Olympii et Apollinis Pythii, Telluris et Bacchi in Limnis, in cu-

(1) Thuc. II. 15.

cujus honorem vetustiora Bacchanalia celebrabantur duodecimo die mensis Anthesterionis: quemadmodum nunc quoque Jones, ab Atheniensibus oriundi, ex recepto ritu celebrare solent. Sunt etiam alia vetusta templa hic aedificata. Fonte etiam, qui nunc ἐννεακρουνὸς appellatur — quod arci vicinus esset, in maximis quibusque rebus utebantur. — Et nunc etiam propter antiquam hanc habitationem, ipsa quoque urbis arx ab Atheniensibus urbs appellatur." Quid igitur egit Theseus? „ Sub Cecrope, illisque priscis ad Theseum regibus, Attica semper oppidatim incolebatur, curias et magistratus habens: et quando nihil timebant, ad regem non conveniebant, sed res ipsi suas administrabant. Imo vero eorum nonnulli, ut Eleusinii, cum Eumolpo bellum adversus Erechtheum olim gesserunt. Theseus vero, postquam regnare coepit, cum esset vir non solum prudens, sed etiam potens, tum aliis in rebus hanc regionem excoluit, tum etiam caeterorum oppidorum curias et magistratus sustulit: et una curia, unoque consilio constituto, in eam civitatem, quae nunc est, omnes coëgit. Et singulos, res suas, ut ante, possidentes, uti compulit hac una civitate, quam, cum omnes in eam jam convenirent et pecuniam ad usus publicos conferrent, Theseus magnis opibus auctam suis posteris tradidit. Et ab illo tempore Athenienses nunc etiam diem festum, nomine ξυνοίκια in Deae honorem publice agunt." Ex his locis illud efficitur. A temporibus inde Cecropis et priorum regum plena fuerat Attica urbium, quae curias haberent suas et magistratus. Arx aderat, et in arce templa. Sed civitates illae perpetuo secum invicem bella gerebant, v. c. Eleusinii, qui ipsum adoriebantur Athenarum regem. Theseus igitur civitatibus omnibus curias ademit, et, communi omnium cu-

curiâ institutâ, cives Athenas traduxit. Vivebant igitur Athenienses in arcis templorumque vicinia, instar prorsus ἀμφικτιόνων. Et vero, quod nec Thucydides praetermisit, nec nobis praetermittendum est, festum inductum fuit, ξυνοίκια, quo arctius etiam perpetuo conjungerentur omnes.

Similis fuit antiquitus Romae conditio. Ipsa urbis origo a sacro ducitur instituto. Asylum enim aperuit Romulus, quo fugiebant ab omni parte homines, et statim in civium numerum accipiebantur. Erant hi jam continuo asylî illius quasi περικτίονες. In vetustissimis Romae traditionibus ludi memorantur Consuales, quo confluebant cum liberis et uxoribus Sabini. Sabinos civitatis participes reddidit Numa, communi condendo templo in Sabinorum et Romanorum confinibus (1). Sed, ut Athenae ad *Atticas*, sic Roma ad *Latinas* referebatur civitates. Videamus, quomodo cum his conjuncti sint Romani.

Auctore Dionysio Hal. (2), Servius Tullius optimates e singulis civitatibus Sabinis convocavit, denuncians illis, se de magnis rebus et ad communem utilitatem pertinentibus velle cum ipsis consultare. Qui ubi convenissent, coacto Senatu Romano et convocatis illis, qui e singulis civitatibus venerant, prolixam orationem habuit, qua ad concordiam illos adhortabatur, docens quam praeclara res esset, multas civitates consentire et concordes esse, et quam turpis, cognatos inter se dissidentes videre: demonstrans item, concordiam infirmis esse potentiae causam, discordiam contra vel po-

(1) Dion. Hal. II. 65. Cf. III. 32. (2) id. IV. 26.

potentissimos debilitare. — Atque hac oratione usus persuasit illis, ut *ἱερὸν ἄσυλον*, *templum cum inviolabili refugio*, impensis communibus Romae exstruerent, in quo singuli civitatum populi congregati, quotannis privata et publica sacrificia facerent et mercatum exercerent statis temporibus: et, si qua simultas aut controversia inter eos fuisset orta, ex his sacris eam dirimerent, reliquarum civitatum arbitrio controversiarum decisionem permittentes. — Itaque postea ex pecuniis, quas omnes civitates contulerunt, exstruxit templum Dianae, quod fundatum est in Aventino, omnium Romanorum collium maximo. Et leges foederis inter hos populos facti constituit, *καὶ τἄλλα περὶ τὴν ἑορτὴν καὶ πανήγυριν ὃν ἐπιτελεσθήσεται τρόπον ἔταξεν.* Quae ne injuria temporis delerentur, aeneam columnam fecit, in qua incidit concilii decreta et nomina populorum, qui illi conventui interfuerant. Haec columna ad meam usque aetatem perduravit, in Dianae fano posita."

Rem ita exponit Dionysius Halic., idemque Servii propositum totum refert ad Amphictyonicarum societatum instituta. Digna est haec ejus sententia quae hîc apponatur. Intelligemus inde, quomodo de vi sacrorum, praesertim festorum, in hominum gentiumque societatem existimaverint Veteres.

Admirabatur, ait, Servius Tullius Graecorum in templis condendis consilia, quo statis temporibus cum uxoribus et liberis conveniebant et simul sacrificia faciebant et negotiabantur et mercatus exercebant, et certamina equestria et gymnica et musica faciebant, diisque donaria communia dicabant. Peractis vero spectaculis et nundinis atque aliis festis, in quibus omnes omni hilaritatis humanitatisque genere se mutuo excipiebant, si qua simul-

multas inter civitates ob aliquam offensam orta fuisset, judices de ea cognoscebant, et de bello contra barbaros gerendo et de mutua concordia inter se consulebant. Haec igitur et similia exempla secutus, ipse quoque summopere in id propensus erat, ut Latini generis civitates in unum corpus contraheret, ne intestinis dissidiis et bellis debilitatae, ab accolis barbaris libertate privarentur."

Accesserunt temporibus Tarquinii Superbi ad hoc Latinorum foedus Hernici et Volsci. Atque ita festa seu feriae institui coeperunt Latinae. „Tarquinius, idem ait Dionys. Hal. (1), provide operam dans, ut foedus cum illis civitatibus ictum, sempiternum esset, statuit designare templum commune Romanis, Latinis, Hernicis et Volscis, ut coëuntes quotannis in designatum locum, nundinarentur et una epularentur et communibus sacris fruerentur. Quum autem omnes rem eam alacri et lubenti animo accepissent, locum designavit, ubi concilium essent habituri, fere in meditullio harum gentium, montem excelsum, qui Albanae urbi imminet, ubi quotannis mercatum exerceri et omnes ab omni mutua vi manus abstinere lege lata jussit, et sacra communiter Jovi Latiali fieri et convivia celebrari." —

Sic hilaritatis caussa inductae sunt feriae Latinae, quae arctam effecerunt Latinorum aliarumque gentium cum Romanis conjunctionem. Et qui sacris hisce deinceps additi sunt dies, fuerunt illi sane perquam hilares. Altero enim liberatam a tyrannide rempublicam, altero plebis reditum, quae secessionem fecerat, communibus conviviis celebrarunt (2).

Sed

(1) IV. 49. (2) Dion. Hal. VI. 95.

Sed idem ille ultimus Romanorum rex, ut arctissimae fuit inter Romanos et Latinos conjunctionis auctor, ita *Capitolium* condidit, quod omnes aliquando in terrarum orbe populos conjungeret. Arx illa, imperii Romani caput, continebat omnium Deorum templa. Florente reipublicae aevo Romani videbantur omnes sacrae hujus arcis veluti *περικτίονες* esse. Et quo studio semper prosecuti sint illud Deorum domicilium, et aliunde patet et inprimis e *triumphi* solemnibus. Festorum omnium quae agebant Romani, longe celeberrimum fuit triumphus. Referebatur enim ad studia bellorum et victoriarum. Erat autem *Capitolium*, ubi festum hoc celebraretur: et sponte ita sancta illa Deorum sedes et ipsos Romanos et omnes qui aliquando jus civitatis erant nacti, communi sacrorum conjunctione mutuo conciliavit.

## *De societate civili.*

Verumtamen nec firma erat nec constans conjunctio, quae communibus sacris festisque conciliabatur. Conveniebant quidem una tribus gentesque diversae, et festi hilaritate ad amicitiam mutuam et fraternam adeo rationem componebantur. Sed festo exacto tempore, discedebant denuo in suos quisque agros et regiones, et disjunctim denuo vivere pergebant. Constans demum societas fuit, quae politica sive civilis dicitur: et haec exstitisse ex iisdem istis communibus sacris videtur.

Ducebantur primum homines sensibus religionis; sed quo magis se explicabant eorum animi, eo magis ipsius duci *societatis* sensibus studiisque coeperunt. Quod sponte egerant antea et naturâ duce, id ratione deinceps et judicio agere instituerunt. Conjunc-

tae

tae fuerant ab antiquo inde aevo Jonicae gentes communi templo in promontorio Mycale. Sed tandem exstitit Thales Milesius, qui Jonibus suaderet, ut Tei, i. e. in medio eorum orbe commune conderent *βουλευτήριον*, eoque convenirent omnes ad lites dirimendas et firmam stabiliendam societatem (1). Antiquitus communi Apollinis templo et oraculo conjuncti fuerant Dores, Thessali, Boeotii, Phocëenses, alii; sed procedente et tempore et gentium cultu, idem illud templum societatis universae fere Graeciae veluti centrum et vinculum evasit. Quod frustra Jonibus suaserat Thales, hoc vere in Hellade obtinuit. Commune habebatur, Aeschinis tempore, gentium Graecarum *βουλευτήριον* cum Delphis, tum Anthelae, ubi celeberrimum illud pronunciari solebat jusjurandum: *μηδεμίαν πόλιν τῶν Ἀμφικτυονίδων ἀνάστατον ποιήσειν, μηδ᾽ ὑδάτων ναματιαίων εἴρξειν, μήτ᾽ ἐν πολέμῳ, μήτ᾽ ἐν εἰρήνῃ· ἐὰν δέ τις ταῦτα παραβῇ, στρατεύσειν ἐπὶ τοῦτον καὶ τὰς πόλεις ἀναστήσειν* (2). Exstiterunt Macedonico aevo cum aliae in Graecia gentium conjunctiones, tum nobilissimum illud foedus Achaïcum, e quo prodierunt *οἱ ἔσχατοι Ἑλλήνων*. Sed minus religionis, unice fere interioris conjunctionis studium in iis apparebat. Templis successerant communia populorum *βουλευτήρια*.

Neque est quod peculiariter dicam de civitate Romana. Nata illa erat, uti vidimus, e sacris institutis, ex illo praesertim *ἱερῷ ἀσύλῳ*: et copulaverat sacra Deorum sedes, inclyta urbis arx, cives omnes. Sed accidit, ut per totum aliquando Romanum impe-

pe-

(1) Herod. I. 170.

(2) Aeschin. *π. τ. παραπρ.* T. III. p. 284. Ed. Reisk.

perium, omnium maxime celebraretur *Senatus populique auctoritas.*

Hoc societatis studio urbes esse vere *civitates* et *Respublicae* coeperunt. Vici antiquitus affuerant: affuerant hominum receptacula, arces, moenia, urbes: nec defuerant etiam βουλευτήρια, certe ducum judicumque conventus. Quae omnia apud barbaras etiam nunc gentes in Oriente, in America, in insulis maris australis reperiuntur. Communibus deinceps sacris conjungi coeperunt tribus hae et urbes: ipsae urbes evaserunt societates Amphictyonicae. Et mansit quidem sacra haec hominum conjunctio, sed praevaluit tandem *civilis* societas. Florente veterum populorum aetate, quicunque in agris aut urbibus degebant, *civium* maxime gloriabantur nomine: et hoc communi *civitatis* et studio et honore arcte copulabantur Athenienses, Corinthii, Lacedaemonii, Romani. Summam tunc auctoritatem habebat cum Senatorum, tum universorum civium concio. Curiae tum erant, ut apte a Graecis dicebantur, communia populi βουλευτήρια, legibus ordinata, atque ad ἰσοτιμίαν, honoris auctoritatisque aequalitatem composita. Et cives omnes, sive εὐπατρίδαι essent, sive plebeji, in foro communiter de rebus civitatis consultabant. Ut antea *templorum*, ita nunc *curiae* et *fori* suprema ducebatur ratio.

Videtur ex his principiis veterum civitatum petenda esse origo. Fusius egimus de communibus gentium cum sacris, tum festis. Sed opus esse videbatur interiore hujusmodi disquisitione ad rite declaranda civitatum illarum initia et incrementa. Non enim continuo ad civilem societatem compositi sunt homines. Repugnat haec opinio cum hominis naturae, quae aegre tardeque procedit ad

ad sensus morales, tum ipsi etiam gentium historiae. E religionis studio primum ortae sunt hominum conjunctiones, et religiosae originis semper deinceps in civitatibus vestigia et documenta manserunt. Civium Romanorum, civium inprimis Atheniensium tota fere vita festis celebrandis consumebatur: et quamvis civili aliquando societate continerentur, festa illa dici non potest quantum ad hanc servandam vindicandamque societatem perpetuo valuerint.

* * *

Nati nos sumus et educati in civili societate, cujus ratione et opinionibus a teneris imbuti, aegre nos traducimus in sacra gentium tempora, quae civilibus praecesserunt. Inde difficultas illa summa pristinae cognoscendae Graecorum Romanorumque historiae, aevi in primis medii cognoscendi, quae sacra fuit Germanicarum gentium aetas.

Progrediendum est nobis ad *naturam* investigandam civitatum antiquarum; sed non possumus dimittere civitatum illarum originem et pristinam conditionem, priusquam de eâ et haec observaverimus.

Cicero ut in opere *de Republica* perfectae adumbravit civitatis imaginem, ita in libris *de legibus* huic scripsit civitati leges. Nec

leges hasce facile quis accuratius attenderit, quin duplicem in iis societatem, alteram *sacram*, *civilem* alteram, animadvertat. Primum illa jubet, quae sacerdotes, tum, quae magistratus senatoresque servare debeant. In utroque legum veluti Codice officia praescribuntur cum regentium, tum obtemperantium: in utroque ad mutuam communitatem societatemque componuntur omnes. In altero civitatem cernis, cui sacerdotes, in altero, cui magistratus praesunt. Scilicet in Rebuspublicis antiquis sacerdotibus successerunt magistratus civiles.

*De vi oraculi Delphici in res Graecorum.*

Celebratissimum est in tota historia antiqua oraculum Delphicum. Et dici non potest, quantam illud vim habuerit in politica omnia Veterum negotia. Nam sive de bello ageretur suscipiendo, sive de nova inducenda regiminis ratione, sive de coloniis emittendis, in gravissimis hisce caussis consulebatur continuo Pythia. Legentibus diligenter antiquos Historicos, maxime Herodotum, videatur nobis pependisse ferme ab hoc oraculo antiqua Graecorum historia.

Mirum hoc profecto, si rem dijudicamus e nostri aevi conditione. Quodsi reputamus, e communibus sacris, ex Amphictyónica ratione exstitisse ab initio Respublicas antiquas, facile hoc erit explicatu. Venerati fuerant antiquitus Graeci templum Delphicum, tamquam omnium civitatum suarum communem vel-

uti

uti ἑστίαν. Visum fuerat illud ἐν τῷ ὀμφάλῳ τῆς γῆς (1) conditum, circum quod, tamquam commune quoddam centrum, ipsi habitarent. Et quamvis sacris deinceps successissent civilia, tamen summa manebat perpetuo augustissimi templi et oraculi veneratio. Sed hoc animadvertamus imprimis:

*Populos excoluerunt primum sacerdotes.*

Quamvis ipsi rudes, cultu tamen praestiterunt agrestibus barbarisque hominibus. Sponte sic illos e barbarie expediverunt. Chaldaei sacerdotes ad Euphratem, Aethiopes ad Nilum indigenas illic gentes excoluerunt. Cultum debuerunt Athenienses Cecropi, Romani Numae Pompilio, prouti Germanicae deinceps gentes Gregorio I et clero Romano. Pariter in Graecia antiquo aevo summa fuit penes Delphicos sacerdotes prudentia. Habebantur illi non tantum sacrorum ministri, qui sacrificia curarent, festis praeessent; sed judices simul propter rerum peritiam, imo arbitri in causis dubiis et controversis. Ab Ennio (2) inducebatur Pythius Apollo profitens de se ipse, se esse eum, unde sibi populi et reges consilium expeterent,

*Suarum rerum incerti: quos ego mea ope ex*
*Incertis certos, compotesque consili*
*Dimitto, ut ne res temere tractent turbidas.*

Com-

(1) Plato de Rep. IV. 427. (2) Cic. de Orat. I. c. 45.

Comparat Apollini Cicero Jurisconsultum Romanum. „ Quid est enim, inquit, praeclarius, quam honoribus et reipublicae muneribus perfunctum senem, posse suo jure dicere idem, quod apud Ennium dicat ille Pythius Apollo, se esse eum, unde sibi, non populi et reges, at omnes sui cives consilium expetant. — Est enim sine dubio domus jurisconsulti totius oraculum civitatis. Testis est hujusce Q. Mucii janua et vestibulum, quod in ejus infirmissima valetudine, affectaque jam aetate, maxima quotidie frequentia civium, ac summorum hominum splendore celebratur."

Nil est accommodatius ad declarandum quod significamus. Uti cultiori aetate, apud Romanos ad Jurisconsulti januam et vestibulum confluebant cives: sic populi confluxerant prisco jam aevo ad Delphicos consulendos sacerdotes, unicos quippe in Graecia temporibus istis juris prudentes.

Contemni aliquando coeperunt oracula: nec immerito. Nam sacerdotibus excelluerunt deinde politicâ prudentiâ politici et philosophi, ut Pythiam doceret plane Themistocles, quid suadendum esset ad servandam Graeciam. Veruntamen, nisi pristino aevo egregie profuissent Graecis Delphici prudentes, ipsa Themistoclis aetate tanta eorum esse auctoritas non potuisset. Nec desunt eorum apud Historicos responsa, quae miram prodant, pro temporum ratione, sagacitatem. Utinam tractetur aliquando historia Graeca, ut tractavit eam Herodotus, secundum oraculorum historiam! Sed nimis hoc abhorret a temporibus nostris.

De

### *De pristina conditione Romanorum.*

Apud Romanos maturius invaluit, quam apud Athenienses et caeteros Graecos, civilis societatis conditio. Romulus sacrorum auctor, idem perhibetur civilium legum conditor. Attamen in hac etiam gente patuit, primum a sacerdotibus excultos fuisse populos. Civitatem ordinasse proprie censetur Servius Tullius, cujus instituta politicae conditionis, quae deinceps obtinuit, fundamenta fuerunt. Sed, ut Theseo Cecrops, ita magno etiam temporis spatio Servio praecesserat Numa Pompilius, sacerdos plane, cujus leges, ut e laudato patet Ciceronis loco, sacerdotalem, ut ita dicam, civitatem referebant.

Et quod attinet jus civile Romanorum proprie sic dictum, et jurisprudentiam, quae tantopere inclaruit, ducuntur haec e legibus XII tabularum; sed antiquitus fuerunt usi *jure pontificio.* Pristini eorum Jurisconsulti sacerdotes fuerunt sive Pontifices, juris illius auctores.

Produnt fere res Romanorum originem sacram. Sacra fuerunt prima eorum monumenta historica (1), a Pontificibus confecta, quae Horatius vocat

*Pontificum libros, annosa volumina vatum*

et Cicero etiam censet initia continuisse historiae Romanae. Ipsa historia Romana a poëtis et historicis a sacris ducitur Trojanorum,

---

(1) Dionys. H. I. 73. 75.

rum, a Palladio quod in Italiam traductum, a mysteriis adeo Samothracibus, ut Dionysio placet (1). Quo magis se efferebat gens sive familia Romana prae caeteris familiis, eo studiosius a sacerdotibus solebat petere origines suas. Habebatur gens Julia origine sacra, quippe e sacerdotibus oriunda, ut idem memorat Dionysius Halic. (2). Cogitabant ita Romani, quod fecerunt item Graeci, sacrum quoddam aevum, primordia continens rerum suarum: nec fuisse istud figmentum inane, e monumentis patuit, libris legibusque Pontificum, quae exstabant apud eos maturâ etiam aetate.

Nolim haec porro persequi: nam patent cuivis, historiam antiquam ex antiquis scriptoribus petenti. Accedamus ad alia.

---

Uti in gentium rebus, ita in literarum etiam historia minime negligenda est prisca populorum conditio, quae sacris continebatur communibus. Effloruit ex illa Poësis una cum Musica et artibus omnibus, quae excoluerunt homines. Apud ipsos Romanos, quamvis a Musis alieniores, vetusta aetate et musici exstiterunt et poetae. Majores nostri, scribebat Cato in Originibus (3), in epulis solebant ad tibicinem canere de clarorum hominum virtutibus. Nam Graecos quid commemorem? qui cultiore etiam aevo erudiebantur a teneris Homeri legendis carminibus,

*— a quo, ceu fonte perenni,*
*Vatum Pieriis ora rigantur aquis.*

Et

(1) I. 68. (2) I. 70. (3) V. Cic. Tusc. I. 2. IV. 2. Cf. Dion. H. I. 79.

Et sacram originem retulit semper Poesis. Ab Homero inde ad Tibullum et nostra tempora, Musas Phoebumque invocarunt poëtae, ut Musarum Phoebique sacerdotes.

*Phoebe fave, novus ingreditur tua templa sacerdos* (1).

Vulgus relinquunt poëtae oratoribus et politicis: ipsi in templa se recipiunt:

*Odi profanum vulgus et arceo:*
*Favete linguis: carmina non prius*
*Audita, Musarum sacerdos,*
*Virginibus puerisque canto* (2).

Tractari non posse videtur historia humanitatis, nisi repetantur ferme omnia e pristina illa gentium vita. Qui primum excolerent populos, sacerdotes fuerunt i. e. μάντεις, προφῆται, vates, poëtae. Ubi primum exsisterent cultus humanitatisque studia, templa fuerunt et loca sacra. E sacris exstiterunt artes omnes, unâ exceptâ Eloquentiâ, τέχνη proprie πολιτικῇ, quamquam et haec inde ducenda, Crasso judice apud Ciceronem (3). Quamdiu floruerunt Graeci Romanique, festa celebrare haud desierunt, pristinae conditionis vestigia: et nata est in iis, Persico tempore, Tragica poësis, efficacissima illa ad res civiles provehendas. Quamvis commutarentur aliquando omnia, vis non cessavit sacrae aetatis: spiravit illa in artibus doctrinisque omnibus, in omnibus institutis civilibus, in gravissimis historiae rebus. Ipsa Philippi caus-

(1) Tibull. II. v. I. (2) Horat. III. Od. I. (3) De Orat. I. c. 8.

caussa quam proxime erat conjuncta cum sacris Delphicis; φιλιππίζειν dicebatur Pythia: et idem Philippus haud facile videtur Graeciae evasisse tyrannus, nisi a Delphicis Amphictyonibus tota pependisset Graecia.

Pepererunt, fateor, pristina illa tempora gravissimam superstitionem, et traduxerunt illam in posteriorem aetatem. Sed fons nobis indagandus est superstitionis istius, si res populorum cognoscere velimus. Et idem est ille, unde μυθοὶ fluxerunt poëtarum et philosophorum, quorum nil simile tulit posterius aevum. Nam poëtica fuit et musica sacra illa Graecorum aetas, ferax quidem ineptiarum, ut nobis videntur; sed initia continens cultus, humanitatis, legum, artium fere omnium et doctrinarum, ipsius adeo Philosophiae. Discipulum se ferebat Socrates *sacrae* Diotimae: et Socraticae philosophiae summum principium antiquitus jam inscriptum fuerat Delphico templo, Γνῶθι Σεαυτὸν.

Haud pervenerunt continuo gentes ad civilem societatem: quod repugnat naturae hominis, ut supra observavi. Nec vero *nos* eo accessimus, anteaquam nostram percurrissemus aetatem sacram, quae medio aevo continetur. A saeculo inde decimo sexto politica quaedam intercedere coepit inter gentes Europaeas necessitudo, quae politicae progenuit aequalitatis studia; sed ante haec initia novae historiae, *novae* iccirco optimo jure dictae, hierarchia obtinebat per Europam totam, rationis politicae aut civilis vix umbra apparebat. Sacerdotibus constabat praestabilior Europaeorum hominum pars, incultis illis, sed caeteros tamen prudentiâ superantibus. Reges aderant ubivis in regionibus Europaeis: aderant in regnis optimates; sed omnis erat penes sacerdotes auctoritas. Bella suscipiebantur communiter a gentibus Euro-

ro-

ropaeis, et incredibili impetu et perseverantiâ, sed sacra: *Dei gesta* vocabantur patrum nostrorum facinora. Ipsa res Equestris, quamvis spirans humanitatis studia et referens prorsus excelsam gentium Germanicarum indolem, tota haec erat sacerdotalis. Sacerdotia fere erant militaria ordines Equestres. Uno conjungebantur *Christianorum* hominum nomine Europaei, et centrum commune Christiani orbis, quo respiciebant omnes, quo confluebant quotannis ex omni terrarum parte Christiani, *sacra* habebatur *Roma*, supremi Pontificis sedes.

E communibus ita sacris Europaeorum etiam populorum societas omnis et conjunctio politica exstitit. Et eadem etiam haec nostra pristina aetas, quamvis rudis et superstitiosa, continuit tamen initia cultus nostri, generosis floruit et vere Germanicis Equitum studiis, artes genuit, imo philosophiam et doctrinas, quas nos excoluimus deinceps, et peperit illa Romanticam Poësin, antiquis ignotam et nobis propriam.

DE

# ANTIQUARUM CIVITATUM

NATURÂ.

> *Πᾶσαν πόλιν ὁρῶμεν κοινωνίαν τινὰ οὖσαν.*
>
> *Aristot.*

Antiquarum gentium vita et ratio tota erat a moribus institutisque nostris diversa. In rebus sacris censebantur certamina tragica, comica, saltatio, Bacchi festa, nulla non oblectationis voluptatisque genera: quae abhorrent prorsus a sincerioris nostrae religionis gravitate. Vivebant in parvis Rebuspublicis, urbium nostrarum externâ ratione similibus: quarum politica conditio comparari vix potest cum recentiorum populorum sive monarchiis, sive civitatibus regionibusque foederatis.

In adumbranda antiquarum origine civitatum, peculiarem hanc notavimus vetusti aevi conditionem: et bene multae videntur politicae quaestiones inde facile explicari. Sed juvat interius inquirere in ipsam civitatum illarum *naturam*. Ita quae vulgo quaeruntur de veterum Rerumpublicarum vigore et lapsu, inprimis de tyrannide et tyrannorum consiliis et *πολιτεύμασι*, universe de politica veterum doctrina; haec, inquam, aptius ita et plenius declarari poterunt.

---

In explorandis civitatum initiis incidit continuo Plato in Ho-

mes

mericos versus, qui apte accurateque exprimere videntur, quod multis ipse verbis ante significare studuerat. Miratur illam poëtarum sagacitatem: *Θεῖον δὴ*, inquit, *τὸ ποιητικὸν καὶ ἐνθεαστικὸν ὂν γένος ὑμνῳδοῦν πολλῶν τῶν κατ' ἀλήθειαν γιγνομένων ξὺν τισι χάρισι καὶ Μούσαις ἐφάπτεται ἑκάστοτε* (1). Et nos, de naturâ jam porro civitatum acturi, quidni e poëtis continuo et eorum principe Homero proficiamus? Non abhorrebit ita a Musis disputatio nostra.

Cyclopes in Odyssea occurrunt ita viventes, ut ferocissimae etiamnunc solent gentes.

> *Τοῖσιν δ' οὔτ' ἀγοραὶ βουληφόροι, οὔτε θέμιστες·*
> *Ἀλλ' οἵγ' ὑψηλῶν ὀρέων ναίουσι κάρηνα,*
> *Ἐν σπέσσι γλαφυροῖσι· θεμιστεύει δὲ ἕκαστος*
> *Παίδων ἠδ' ἀλόχων· οὐδ' ἀλλήλων ἀλέγουσι* (2).

Misere vexatus est et visu adeo privatus Polyphemus. Non curant eum caeteri, sed fugiunt adeo:

> *Νοῦσόν γ' οὔπως ἐστὶ Διὸς μεγάλου ἀλέασθαι·*
> *Ἀλλὰ σύ γ' εὔχεο πατρὶ Ποσειδάωνι ἄνακτι.*
> *Ὣς ἄρ' ἔφαν ἀπιόντες* (3).

Nulla etiam apud eos Deorum veneratio:

> *Νήπιος εἶς, ὦ ξεῖν', ἢ τηλόθεν εἰλήλουθας,*
> *Ὅς με θεοὺς κέλεαι ἢ δειδίμεν ἢ ἀλέασθαι.*

Οὐ

---

(1) Legg. III. 682. A. Sic corrigendum censui. Vulgo legitur: *Θεῖον δὴ καὶ τὸ ποιητικὸν ἐνθ.* —

(2) Odyss. *l.* 112. Cf. Plato Legg. III. 680. B. (3) Odyss. *l.* 411.

Οὐ γὰρ Κύκλωπες Διὸς αἰγιόχου ἀλέγουσιν,
Οὐδὲ θεῶν μακάρων (1).

Sed comparemus cum Cyclopibus ipsos Graecos. Vidimus, quomodo apud Homerum Jones omnes cum uxoribus et liberis Apollinis celebrent festa, ab omni parte in sacram insulam confluant. Par animadvertimus communitatis studium in rebus eorum militaribus et civilibus. Qui Trojam sese contulerunt Graeci, praesunt illi singuli populis suis; sed ab initio jam Iliadis in concionem veniunt:

Τῇ δεκάτῃ δ' ἀγορήνδε καλέσσατο λαὸν Ἀχιλλεύς (2).

Similis concio apud Ithacenses. Telemachus:

Αἶψα δὲ κηρύκεσσι λιγυφθόγγοισι κέλευσε
Κηρύσσειν ἀγορήνδε καρηκομόωντας Ἀχαιούς.
Οἱ μὲν ἐκήρυσσον, τοὶ δ' ἠγείροντο μάλ' ὦκα (3).

item apud Phaeaces:

Τοῖσιν δ' ἡγεμόνευ' ἱερὸν μένος Ἀλκινόοιο
Φαιήκων ἀγορήνδε —
Ἐλθόντες δὲ κάθιζον ἐπὶ ξεστοῖσι λίθοισι
Πλήσιον — (4).

Indagamus civitatum naturam: et videor mihi jam illam quodammodo animadvertere. Ni fallor equidem, ipsâ continetur civium *concione*.

Cy-

(1) Odyss. *ι*. 273. (2) Iliad. *α*. 54. (3) Odyss. *β*. 6. (4) Odyss. *θ*. 4.

Cyclopes sibimet ipsis vivebant singuli, nec Deos nec se invicem curabant, οὔτ' ἀλλήλων ἀλέγουσι. Sed Graeci in sacris continuo et civilibus concionibus totam fere vitam transigebant. Ut Ithacenses, Phaeaces, ita deinceps Athenienses, Spartani, Thebani, Syracusani, Romani, sive domi essent, sive foris militarentur, vel festis communibus vel ἀγοραῖς aderant βουληφόροις. Nulla nec in Graecia nec in Italia civitas, ubi *forum* non habebatur.

Cives Athenienses, Thebani, Lacedaemonii non censebantur Athenarum, Thebarum, Lacedaemonis incolae. Parum curabant quem incolebant locum. Sed *civium* illarum civitatum gloriabantur nomine. Illa autem civium existimatio in populi cujusque foro et concione cernebatur. Huc una continuo conveniebant, ut de rebus communibus suffragia ferrent. Hic sentiebant, Graecae civitatis se cives esse.

Quum Philippus et postea Alexander Graecos opprimeret, erant qui Graecos adversus illos excitarent. Demosthenes, ut cives ipse suos ad praeclara omnia audenda inflammabat, ita in alias subinde urbes evolabat, Thebas, Byzantium, ubi idem perageret. Et incendebantur omnino populi tanto orationis impetu. Quodsi quaerimus, quomodo hoc egerit: *conciones* adibat populorum. Concionibus enim hisce ipsae constabant antiquae civitates.

Innumerae erant in Asia minori, in insulis, in ipsa Graecia, in Italia civitates, in quarum conditione et regimine infinita animadvertitur varietas. Sed quotquot cum in his, tum in aliis locis civitates exstiterunt, tot simul exstiterunt populorum comitia, ἀγοραὶ, ἐκκλησίαι. Hoc omnes omnino, quamvis variae, commune habuerunt. Ipsa scilicet civitatis natura *concione* continetur.

Sed ne praetermittamus, quod ab initio observavimus, duplicia haec

haec antiquitus fuisse comitia, cum *sacra*, tum *civilia*. Jungi etiam subinde barbari solebant, quando bellum parabant, atque in communem conveniebant concionem, de rebus suis consultaturi; nec tamen efficiebant ita *civitatem*. Civitates, quae Veteribus hoc nomine dicebantur, ut e communibus sacris erant ortae, ita perpetuo deinceps tam *festis* celebrandis, quam civilibus continebantur concionibus.

---

Nulla antiquitus civitas sine concione: sed nulla etiam concio sine *Senatus* auctoritate. Ut templa, ut forum, ita etiam *curia* ad civitatum refertur naturam.

Solet antiquitas nullis non institutis auctorem fingere, ut supra vidimus in Amphictyonum comitiis. Sic Romulus, sic urbium conditores et legislatores patrum instituisse concilia ferebantur. Nec negamus, eos delectum habuisse principum hominum, quos in senatorum numerum accenserent. Verum ipsa haec instituta sponte exstiterunt. Iterum adeamus fontem illum uberrimnm, unde poëtae non tantum omnes hauserunt, sed profecerunt etiam historici et politici.

Conveniunt in Homeri carminibus populi, sed concioni praesunt tribuum principes, Agamemnon, Menelaus, Ulysses, Nestor, Ajax, caeteri. Soli subinde hi de rebus communibus deliberant:

— τοὶ δ' ἅμ' ἕποντο
Ἀργείων βασιλῆες, ὅσοι κεκλήατο βουλήν. —

Τάφρον δ' ἐκδιαβάντες ὀρυκτὴν ἑδριόωντο
Ἐν καθαρῷ —
Ἔνθα καθεζόμενοι, ἔπε' ἀλλήλοισι πίφαυσκον (1).

Sermones ita miscent, orationes adeo habent, prorsus ut in civitatibus *Senatores.* Vocantur adeo principes illi ἄριστοι Ἀχαιῶν, prouti in Rebuspublicis *Optimates.* Unde solemne Graecis vocabulum ἀριστοκρατία. Effigiem ita *Senatus* apud Homerum jam contuemur.

---

Sed in explorandâ civitatum naturâ tanti videtur momenti, comitiorum et curiae rite tenere rationem, ut non possim non praeclaram adducere Platonis sententiam. Ut omnia, ita haec etiam ex pristina gentium vita et ipso hominis ingenio ducit.

„ Videntur," ait hospes ille in libris *de legibus* Atheniensis, qui ipsius philosophi doctrinam explicat, „ videntur pristini mortales vixisse πατρονομούμενοι: patris enim matrisque reverebantur imperium: atque ita per familias distributi, vagabantur gregum aviumque instar, patrem et principem secuti. Sed conjungebantur deinceps familiae illae, et cum plures continuo accederent, moenibus communem habitationem circumdabant. Ita exstitit societas." Sed quomodo se habebat societas illa? Audiamus porro Platonem: concionis et senatus nobis significabit initia. „ Verosimile est, inquit, τῶν οἰκήσεων τούτων μειζόνων αὐξανομένων ἐκ τῶν ἐλαττόνων καὶ πρώτων, ἑκάστην τῶν σμικρῶν παρεῖναι κατὰ γένος ἔχουσαν τόν τε πρεσβύτατον ἄρχοντα, καὶ αὐτῆς ἔθη ἄττα ἴδια, διὰ τὸ χωρὶς ἀλλήλων οἰκεῖν, ἕτερα ἀφ' ἑτέρων ὄντων τῶν γεννητόρων τε καὶ θρεψάντων, ἃ εἰθίσθησαν περὶ θεούς τε καὶ ἑαυ-

---

(1) Iliad. κ' 194.

ἑαυτοὺς, κοσμιωτέρων μὲν, κοσμιώτερα, καὶ ἀνδρικῶν, ἀνδρικώτερα· καὶ κατὰ τρόπον οὕτως ἑκάστους τὰς αὐτῶν αἱρέσεις εἰς τοὺς παῖδας ἀποτυπουμένους καὶ παίδων παῖδας, ὃ λέγομεν, ἥκειν, ἔχοντας ἰδίους νόμους, εἰς τὴν μείζονα ξυνοικίαν (1).

Vel fallor equidem, vel e sententiis hisce Platonis antiquarum Rerumpublicarum rationem et naturam perspicimus. Confluxerant in communem locum familiae et gentes una cum patre sive principe quaeque suo: nam antea πατρονομούμενοι vixerant. Attulerant singulae cum sacra sua, tum ἔθη, instituta, consuetudines, mores. Inde in republica communia sacra, communia instituta civilia, communes omnino leges: inde omnium ita coalescentium conventus, comitia, forum: inde tandem Senatus et Curia, ubi principes illi sive *patres* una conveniebant, ut conjunctim jam totius societatis sive civitatis caussas procurarent.

Nemo facile hunc legat Platonis locum, quin animo simul repraesentet rempublicam, inprimis senatum, Romanorum. Occurrunt ibi familiae continuo, Manlia, Fabia, Aemilia, Cornelia, Julia, quae *gentes* dicuntur proprie. Distinguuntur a se invicem *majorum gentium* et *minorum gentium* Senatores. Propria continuo memorantur *gentium sacra*. E Patriarchia, sive ut Plato vocat, e ratione πατρονομουμένων haec sponte intelliguntur omnia. Inde ipsi senatores *Patres* dicebantur, et universus senatus *Patres conscripti*.

---

Concionibus jungebantur antiquorum civitates, cum *sacris* festo quoque tempore, tum civilibus vel universo populo propriis, vel pa-

(1) Legg. III. 681. A.

patribus tantum sive senatoribus. Et ita erant civitatibus hae conciones propriae, ut, his sublatis, civitas intelligi nulla possit. Sed principium quaeramus jam porro, e quo ducantur haec omnia.

In Republica, quam fingendo condidit Plato, dominatur fere Graecanicum illud κοινὰ τὰ φίλων (1). Et aemulus ille divini Platonis, acerrimus ingenio Aristoteles, qui universas animo complectebatur vetusti aevi civitates, πόλιν vocat κοινωνίαν. Videtur hoc unum nobis sufficere ad totum declarandum argumentum nostrum.

In gentibus barbaris, in cultioribus etiam ad Nilum, Euphratem, Indum populis, patriarchia obtinebat, nulla vero κοινωνία. Unus in omnes dominabatur Rex, cui omnes ut patri et principi, tamquam liberi et servi obtemperabant. Communibus suffragiis in solemnibus concionibus nihil peragebatur: ipsa imperantis vox et voluntas una erat populi lex. Xerxis res gestae, prouti ab Herodoto describuntur, et multo etiam magis Orientalia historiae monumenta, abunde hoc nobis demonstrant. Sed quotquot erant antiquitus in Graecia et Italia Respublicae, tot erant κοινωνίαι, communibus sacris legibusque conjunctae, in quibus imperantes imperabant communiter, et caeteri omnes una cum hisce in communibus concionibus de rebus publicis disceptabant. Κοινωνίαι fuerunt proprie antiquae Respublicae, e communionis societatisque studiis ortae, iisdemque vigentes et florentes: unde amor patriae et libertatis ardor et generosa facinora pro patria et libertate: propria illa civitatibus antiquis omnibus, quippe conjunctionis societatisque studiis cognata. Et tales *naturâ* fuisse Respublicas illas, ipsa vox RESPUBLICA continuo declarat, et magis etiam Anglicum nomen COMMONWEALTH, tum nostrum in primis GEMEENEBEST.

(1) Passim apud Platonem, inprimis Legg. V. 739. B. C.

# QUAESTIONES POLITICAE
## DE
# ANTIQUARUM CIVITATUM
## VIGORE ET LAPSU.

Δεῖ δὲ τὴν πόλιν, καθάπερ ἕνα ἄνθρωπον, ζῆν εὖ.
*Plato de legg.* VIII. 828.

Investigare studui, antiquis ducibus poëtis, historicis, philosophis, quae antiquarum fuerit Rerumpublicarum cum *origo*, tum *natura*. Et pervenisse ita nobis videmur ad fontem uberrimum, unde gravissimae duci queant de antiqua Politica observationes. Age, ne subsistamus hoc loco: explicemus e principiis porro hisce quaestiones nonnullas politicas.

## *De civitatibus antiquis.*

*Urbes* non erant civitates illae, ut omni aevo in orientalibus terris habebantur, ut in nostra etiam Europa exstant. Erant *Respublicae*, id est, civium communitates, κοινωνίαι, communi et civium amore et barbarorum odio conjunctae. Fieri poterat et fiebat subinde, ut urbs ab hostibus caperetur et incolae expellerentur omnes. Sed, quamvis hoc accideret, non peribat *civitas*. Sospes erat civitas, quamdiu ipsi superessent cives, qui communiter re-

 bus

bus suis prospicerent. Subactâ ab Harpago Ioniâ, suadebat Jonibus Bias, *κοινῷ στόλῳ ἀερθέντας πλέειν ἐς Σαρδὼ, και ἔπειτα πόλιν μίαν κτίζειν πάντων Ἰώνων· καὶ οὕτω ἀπαλλαχθέντας σφέας δουλοσύνης, εὐδαιμονήσειν, νήσων τε ἁπασέων μεγίστην νεμομένους, καὶ ἄρχοντας ἄλλων.* „ *ut sociata classe vela darent ventis, et in Sardiniam navigarent, ibique unam Ionum omnium conderent civitatem: ita servitute liberatos, opulentos fore, insulam omnium maximam obtinentes, aliisque imperantes* (1)." Urbem suam reliquerunt Athenienses: videbant flammam et fumum ex illa exsurgere; nec tamen desperabant de civitate. Nisi Persas vincere navali proelio potuissent, una Sirin, Italiae urbem, cum suis migrassent: prouti ipse affirmabat Themistocles (2). Illic sibi videbantur alia facile templa et moenia condere, in aliud convenire forum posse. Quod si egissent, vel urbe deletâ, superfuissent Athenae, quamvis alio loco (3).

Qua nati erant et educati regione, hac semper delectabantur Veteres. Sed civitatis, cujus essent cives, tanto ducebantur amore, ut, quamvis non nati illic, eam tamen haberent patriam suam. Secundo Ciceronis *de legibus* libro in Arpino inducuntur cum M. Cicerone ambulantes Atticus et Quintus. Dixerat Marcus hoc se loco natum esse. Miratur Atticus: „ cognosse me, inquit, incunabula tua admodum gaudeo. Sed illud tamen quale est, quod paulo ante dixisti; hunc locum (idem ego te accipio dicere Arpinum) germanam patriam esse vestram? Numquid duas habetis patrias? An est illa una patria communis? nisi forte sapienti illi Ca-

(1) Herod. I. 170. Cf. V. 106. 124. (2) Apud Herod. VIII. c. 62. (3) Cf. Herod. VI. c. 22 et 23. IX. 106.

Catoni fuit patria non Roma, sed Tusculum." Rem Attico declarat Marcus, et intelligimus ex ejus dictis, quanti civitatem fecerint Antiqui. „ Ego me hercule, respondet, et illi et omnibus municipibus, duas esse censeo patrias, unam naturae, alteram civitatis: ut ille Cato, cum esset Tusculi natus, in populi Romani civitatem susceptus est. Itaque, cum ortu Tusculanus esset, civitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram juris: ut vestri Attici, postquam Theseus eos demigrare ex agris et in astu, quod appellatur, omnes se conferre jussit, et Sunii erant iidem et Attici: sic nos et eam patriam dicimus, ubi nati, et illam, qua excepti sumus. Sed necesse est, caritate eam praestare, qua Reipublicae nomen universae civitatis est (1): pro qua mori et cui nos totos dedere, et in qua nostra omnia ponere, et quasi consecrare debemus. Dulcis autem non multo secus est ea, quae genuit, quam quae excepit. Itaque ego hanc meam esse patriam prorsus numquam negabo, dum illa sit major, et haec in ea contineatur (2)."

Sic loqui solebant Veteres, quippe ad civitatem quique suam referentes omnia. „ Cum omnia, idem ait Cicero, ratione animoque lustraris, omnium societatum nulla est gravior, nulla carior, quam ea, quae cum Republica est unicuique nostrum. Cari sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares; sed omnes omnium caritates patria una complexa est: pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus (3)?"

Ad

(1) Pro corruptis his verbis in Academicis Lectionibus legendum olim proposuit doctor meus suavissimus, Cl. Wyttenbachius: *quae Reipublicae nomine universis civitas est.* (2) Legg. II. 2. (3) De Off. I. 17 Cf. 45.

### *Ad civitatem apud Veteres referebantur omnia.*

Eo pertinebat educatio eorum et institutio, imo tota vita, ut digni evaderent insigni honore, quo tamquam cives existimabantur. Minor habebatur humanitatis, quae nobis videtur unice laudanda, quam civitatis ratio. In peregrinos homines saevire licebat, ut apud Spartanos in Hilotas, apud omnes in barbaros, modo civibus quisque suis consuleret. Inepta ita multa exstiterunt legislatorum et philosophorum placita, v. c. Platonis sententia de foeminarum communione, qua nil nobis videtur absurdius, et nil est profecto naturae repugnantius. Tolerabantur tamen haec omnia, imo probabantur et laudabantur, quippe civitati, τῇ κοινωνίᾳ, consentanea.

Ad hanc autem servandam et firmandam civitatis existimationem et arctam universorum civium conjunctionem, leges pertinebant tantum non omnes. Valuerunt eo Cretensium et Spartanorum συσσίτια, a Platone et Aristotele tantopere commendata: ξενελασίαι, quo magis integri manerent civium animi, nec alienis moribus contaminarentur: leges item, quibus prohibebatur, certe impediebatur mercatura, nobis quidem minime probandae, nedum expetendae, sed aptissimae antiquitus ad cavendas auri argentique illecebras. His enim facillime distrahebantur a se invicem cives, et distracta est vere, Lysandri tempore, Respublica Spartana.

### *De servorum manumissione apud Romanos.*

Multa sunt, quibus Graecis praestiterunt Romani, quod vere observavit Cicero. In his autem in primis censenda servorum ma-

manumissio. Servos libertate donare solebant etiam Graeci, solent etiamnunc populi rudes. Suadebat hoc voluntas domini in probum famulum, quem vendi nolebat pecudis instar. Sed apud Romanos fuit inductum, ut qui manumittebantur servi, non ad proletariorum hominum genus referrentur, ut fere fieri apud Graecos consueverat; sed manumitterentur solemniter, in civium numerum accenserentur, civium haberentur honore, dignitate, juribus. Verum tamen, ne de abusu institutionis dicam, longe aberat ut e sublimibus illa existeret humanitatis sensibus, quibus nos imbuti, ferre non possumus servum hominem. Accedebant quidem, certe tendebant eo Romani; sed, ut omnes antiqui, ad civitatem referebant omnia: humanitati, quae *nobis* dicitur, nullum habebant honorem.

### *De aequalitate in civitatibus antiquis.*

Nulla est conjunctio sine studio aequalitatis. Inde instituta de agrorum divisione, de debitorum remissione, leges agrariae, contentiones item plebis Romanae ad obtinenda omnia Patriciorum munera: ipsa inde creatio tribunorum plebis. Et quae instituit Servius Tullius, ut auctoritatem firmaret Optimatum, frustra haec molitus videatur, nisi justam induxisset simul tributorum aequalitatem. Longe aberat, ut aequalia essent omnia in Rebuspublicis illis: quo nihil esse potuisset absurdius. Sed studium vigebat aequalitatis, naturae civitatum, quippe κοινωνιῶν, consentaneum: et legum ratione habita, par erat omnium, tanquam civium, conditio.

*De vi legum ad conjungendos cives.*

E studio communionis leges exstiterunt communes, quibus junctae sunt Respublicae. Sed valuerunt etiam deinceps leges ad studium illud alendum. Inde praeclara facinora antiquarum civitatum.

Paratis omnibus, quae ad Graeciam occupandam pertinerent, Demaratum arcessit Xerxes et ita orditur: „ Demarate, nunc me juvat ex te quaerere, quae scire cupio. Tu Graecus es, et ut ego non ex te solum, sed et ex aliis Graecis, qui mihi in colloquium veniunt, audio, ex ea civitate es, quae nec minima est nec infirmissima. Nunc ergo hoc dic mihi, an Graeci ausuri sint manus contra me tollere. Nam, ut equidem existimo, ne universi quidem Graeci et reliqui ad occidentem habitantes homines, si vires suas cuncti conjungerent, pares forent ad mihi resistendum, nisi prorsus inter se fuerint concordes. At cupio tamen ex te, quid sit quod de hoc dicas, cognoscere." Operae pretium est attendere, quid responderit Spartanus: nam explicuit accurate rationem Graecam. Primum haesitabat, ut par erat: „ Rex, inquit, ex veritate tibi dicam, an ad gratiam?" Xerxes vero eum ex veritate dicere jussit: nihilo enim minus illum ob id sibi acceptum fore, quam antea fuisset. Tum Demaratus, hoc audito, sic dixit: „ Rex, quoniam ex rei veritate me loqui jubes, eaque dicere, quae non mentitum me esse posthac deprehendar, morem tibi geram. Τῇ Ἑλλάδι πενίη μὲν αἰεί κοτε σύντροφός ἐστι· ἀρετὴ δὲ ἔπακτός ἐστι, ἀπό τε σοφίης κατεργασμένη καὶ νόμου ἰσχυροῦ· τῇ διαχρεωμένη ἡ Ἑλλὰς, τήν τε πενίην ἀπαμύνεται καὶ τὴν δεσποσύνην. *In Graecia ab omni quidem aetate paupertas habitavit: accessit ve-*

*vero virtus, sapientiae et legis validae filia, qua utens Graecia et paupertatem abigit et dominatum.* Et laudo quidem Graecos omnes circa terras illas Doricas habitantes: nec vero de cunctis nunc Graecis verba faciam, sed de solis Lacedaemoniis: quos primum dico nequaquam accepturos esse tuas conditiones, servitutem Graeciae proponentes: deinde obviam illos tibi ituros aio in pugnam, etiamsi caeteri omnes Graeci tecum sentirent. Ad numerum autem quod attinet, noli quaerere quot sint numero, qui hoc facturi sint: nam sive mille fuerint qui in aciem prodeant, hi tecum congredientur, sive his pauciores, sive plures."

Mira voluptate legere fere soleo Demarati illos cum Xerxe sermones, quos tradidit ita nobis Herodotus. Nam jucundius enarrari confabulatio non potest: tum vero continent Regis Spartani sententiae ipsius adeo Politicae Graecae principia. Sed audiamus porro.

Ad haec igitur Xerxes ridens, „'Demarate, ait, quodnam emisisti verbum, mille viros cum tam ingenti exercitu congressuros? Dic mihi, age: nonne tu ais, regem te horum hominum fuisse? Visne igitur tu e vestigio contra decem pugnare viros? Atqui, si vestri cives cuncti tales sunt, quales tu declaras, decet te, regem eorum, ex vestris institutis, cum duplo numero congredi. Nam si illorum quisque denis viris de meo exercitu par est, a te utique postulo, ut viginti viris par sis: atque ita demum recte stabit ratio, quam tu dicis. Sin, quum tales sitis talique staturâ, quali tu et alii Graeci qui me convenire consueverunt, tantopere gloriamini, vide, ne vana jactatio sit hoc quod dicitis. Age enim, videamus, quid probabili ulla ratione fieri possit? Quonam igitur pacto mille homines, aut etiam decies, aut denique quinque-

quagies mille, qui cuncti pariter liberi sint, nec unius subjecti imperio: quo pacto, inquam, hi resistere tanto exercitui poterunt? Nam, si sunt illi quinquies mille, nos plures quam milleni sumus, qui illorum unumquemque circumstabimus. Quodsi illi unius imperio essent subjecti, possent forte, illius metu, contra suam naturam fieri meliores, et flagellis coacti pauciores numero adversus plures in praelium ire; sed liberi et suo arbitrio permissi, neutrum horum facient. Puto vero equidem, aequali etiam numero aegre Graecos solis Persis resistere posse. Sed apud nos hoc reperitur, quod tu ais: quamquam non frequens, sed rarum. Sunt enim inter Persas, in satellitum meorum numero, viri, qui cum tribus simul Graecis pugnam inire non detrectabunt: quorum tu inexpertus, multa nugaris."

Inepte Xerxes: haud perspicit naturam civitatum Graecarum; nec vero vim *legum* ad cives conjungendos. Sed accipiet hoc ab homine Spartano. „ Rex, respondet Demaratus, ab initio noveram, vera me dicentem, non dicturum grata tibi: sed, quoniam me coëgisti vera eloqui, dixi quae ad Spartanos attinerent. Quamquam quo pacto ego nunc maxime adversus illos affectus sim, tu optime nosti: quum illi me honore et muneribus paternis spoliatum, domo atque patriâ pepulerint: quem tuus pater benigne exceptum, victu ac domicilio donavit. Quare credibile non est, hominem sanae mentis exploratam respuere benivolentiam, sed eam potius quam maxime complecti. Ego vero neque cum decem simul viris posse me dimicare praedico, nec cum duobus: et mei si res arbitrii sit, ne cum uno quidem congrediar. Quodsi vero necessitas urgeret, libenter admodum cum uno ex his viris congrederer, quorum unusquisque tribus se parem ait esse Graecis.

Ita

Ita enim Lacedaemonii, singuli cum singulis pugnantes, nullis viris sunt inferiores; conferti vero, omnium hominum fortissimi. Ἐλεύθεροι γὰρ ἐόντες, οὐ πάντα ἐλεύθεροί εἰσι· ἔπεστι γάρ σφι δεσπότης, ΝΟ'ΜΟΣ, τὸν ὑποδειμαίνουσι πολλῷ ἔτι μᾶλλον, ἢ οἱ σοὶ σέ. Ποιεῦσι γῶν τὰ ἂν ἐκεῖνος ἀνώγῃ· ἀνώγει δὲ τὠυτὸ αἰεὶ, οὐκ ἐῶν φεύγειν οὐδὲν πλῆθος ἀνθρώπων ἐκ μάχης, ἀλλὰ μένοντας ἐν τῇ τάξει, ἐπικρατέειν ἢ ἀπόλλυσθαι. *Licet enim liberi sint, non sunt tamen omni ex parte liberi; praeëst enim iis dominus*, LEX; *quem illi dominum multo magis timent, quam te tui. Faciunt semper id quod lex imperat: imperat autem illa semper idem, vetans ex acie profugere quantacumque sit hostium multitudo, jubensque in ordine suo stantes aut vincere aut occumbere* (1)."

Ἀβασίλευτοι, *sine Rege*, esse non poterant Aegyptii (2): pro Rege enim agebant omnia Orientales. Sed Graeci Romanique his studiis ducti communionis, ipsam habebant *civitatem*, quam colerent unice, quam amarent plane, quam defenderent ab omnibus: nullis obedientes, nisi *legibus* communibus, *solis Reipublicae dominis*.

### *Quaenam censebatur antiquo aevo civitatum prosperitas?*

Solemus nos fere populorum florem et prosperitatem aestimare e divitiis, opibus, mercatura, soli proventibus, rerum opportunitatibus. Negligebant haec prorsus Veteres, de flore disserentes civitatum suarum. Cives attendebant, non res civium: negabant adeo, bene se habere Rempublicam, quae opibus affluerer; nam dis-

(1) Herod. VII. 101—104. (2) Herod. II. 147.

distrahi ita cives a communi caussa, et suas praeponere divitias Reipublicae saluti et auctoritati: virtutem adeo tolli, quae patriae amore contineretur. „ Cives, ait Plato, quo majore habebunt pretio pecuniam, eo minore habebunt virtutem: ἢ οὐχ οὕτω πλούτου ἀρετὴ διέστηκεν, ὥσπερ ἐν πλάστιγγι ζυγοῦ κειμένου, ἑκατέρου αἰεὶ εἰς τοὐναντίον ῥέποντος; *Nonne ita virtus a divitiis discrepat, quasi utraque in lance staterae sint posita, semperque in contrariam partem declinent* (1)?

Cives respiciebant unice antiqui et civium mores.

„ *Moribus antiquis stat res Romana virisque*"

quod Ennii effatum in omnes quadrat Respublicas veteres. Moribus florebant illae civium suorum, ad temperantiam compositis, ad fortitudinem, ad virtutes omnes, ut validi essent corpore qui rem communem propugnarent, animis inprimis consentirent civitatis caritate suae. Quamvis pauperes, florebant antiquo aevo Respublicae: nam civium florebant consensu et vigore.

## *De Republica Romana.*

In historia gentium mira est et paene singularis Romanorum ratio. Ingens imperium condiderunt, prouti Persae, Macedones, recentiores Europae populi. Sed, ut populi hi per magnos terrarum tractus dispersi sunt, in quibus habitarent, ita terrarum domini unâ continebantur urbe.

Nisi naturam attendamus antiquarum urbium, intelligere istud haud facile poterimus. Censebatur Roma non urbis circuitu aut moe-

(1) Rep. VIII. 550. E.

moenibus quibus circumdabatur; sed comitiis et senatu. Esse quis poterat civis Romanus, etiamsi in quavis Italiae parte, in Graecia, in Africa, in Asia, in Gallia habitaret; modo jus esset nactus comitiorum. Sic enim particeps erat Reipublicae, suffragia ferre de publicis caussis poterat, poterat in Senatum eligi. Caeterum ita accidit, ut per totum terrarum orbem distribueretur aliquando Respublica Romana. Barbari etiam tandem jus civitatis acceperunt.

*Quare gentes Italae tanto studio jus appetiverunt civitatis Romanae?*

Multi sunt fere antiquarii in aestimandis emolumentis, quae percipi ex jure illo solebant. Sed potius illud aliunde ducam.

*Κοινωνίαι* erant vetustae civitates; et *honos* habebatur insignis, societatum illarum participem esse, istiusmodi maxime, quae aliis videretur excellere. Romae gloria, devictis vicinis et remotioribus populis, subacta Carthagine et Graecia, ad summum fastigium escenderat. Sponte sic appetebant in Italia omnes, ut in tantae pervenirent gloriae societatem.

*Honoris caussa in gentibus orientalibus et in Graecis Romanisque.*

In Orientalibus populis disjuncta erant omnia secundum familias, tribus, genera, castas, ut a recentioribus vocantur. Eo magis quisque solebat honorari, quo antiquioris celebriorisque esset fami-

miliae vel tribus. Honoratissimae erant familiae sacerdotum et militum. Omnibus in regno Persico praestabat tribus Pasargadarum et familia Achaemenidarum, quae Regia erat.

Vestigia patriarchicae hujus conditionis in antiquis civitatibus multa exstabant. Regiae erant Lacedaemone familiae Eurystheni-darum et Proclidarum, ex Heraclidis oriundae. Nobilissimae erant Athenis Alcmaeonidae, qui Pisistratidas ejecerunt a Codro oriundos (1). Sacerdotibus constabat fere Eumolpidarum familia. Gens Fabia adeo erat Romae valida, ut ipsa bellum susciperet. Verum enim longe major habebatur *civitatis*, quam familiae gentisve honos. Celebrabantur εὐπατρίδαι illi nomine suo, sed multo magis etiam ut *Spartani*, ut *Athenienses*, ut *Romani* sive *Quirites*. A civitate quisque sua summum decus nanciscebatur. Itaque per Graeciam, per Italiam tribus non censebantur, sed *Respublicae*, et erant illae eo honoratiores, quo essent antiquiores, celebriores, potentiores.

Quodsi tenemus summum hoc Orientalium et Graecorum Romanorumque discrimen, e propriâ hac utrorumque honoris caussâ explicare multa possimus. Orientalium historia, si a Phoenicibus discesseris et Carthaginiensibus, tota fere continetur principum tribuum rebus gestis. Sacerdotales gentes militaribus sive regiis se continuo opponunt, quod in Aegypto in primis factum; vel, quod ubivis fieri consuevit, regiae familiae ab aliis militaribus tribubus impugnantur et principatu privantur; unde perpetuae illae regnorum conversiones, e tribuum ratione unice repetendae.

Respublicae vero antiquae erant κοινωνίαι. Vix ulla in iis duce-

(1) Herod. V. 65.

cebatur tribuum ratio, quarum quippe cives civitatis suae famâ multo magis, quam suâ gloriabantur. Iccirco continetur fere earum historia mutua ipsarum aemulatione. Prouti in Asia a principatu dejecerunt Assyrios Medi, Medos Persae, Persas Macedones, Macedones Parthi, universos Arabes, et hos tandem Turcae et Mogoli: ita in Graecia de principatu et summa gloria contenderunt Respublicae nobiliores, cum Atheniensi Spartana, cum Spartanâ Thebana, cum omnibus Rebuspublicis Graecis Romana, quae principis Reipublicae et nomen appetens et honorem, Respublicas fere omnes, ipsam Carthaginem, sibi tandem subjecit.

Sed mittere non possum illustre argumentum, anteaquam et hoc monuerim.

Honoris appetitu ducuntur gentes omnes, eoque provehuntur ad praeclarissima quaeque perficienda; sed alium honorem appetunt aliae. Familiam tribumque suam vindicare, propugnare, illustrare, Orientalibus omni aevo proprium fuit: unde *sanguinis vindicta*, ex hoc honoris studio orta. Et eo referuntur fere Orientalium hominum fortissima facinora (1).

Ducebantur item Graeci vetusto tempore eodem hoc honoris sensu. Pro fratre Menelao Trojanam expeditionem suscepit Agamemnon, ut labem generi suo adspersam armis ulcisceretur. Sed conditis deinceps Rebuspublicis, aliam nacti sunt Graeci honoris caussam, gloriam nempe quisque civitatis suae. Pro hac vivere, pro hac etiam mori, dulce aestimabatur et decorum.

Hinc autem explicandum arbitrer, quare minore fuerint Spartae dignitate Lacedaemonii, quam Spartani: minore inprimis in impe-

(1) Praeclare hac de re disputavit Michaelis *Mos. Recht.* II. §. 134 & 135.

perio Romano Latini, Socii, Itali, Provinciales, quam Quirites. Scilicet honos habebatur summus, civem esse inclytae civitatis: quem honorem ut integrum servarent Spartani et Quirites, aegre cum aliis tribuebant, nec facile, nisi minore cum dignitate.

Carthaginienses propugnabant ditiones suas militum numero, ut mercenarios ex omni parte cogerent. Orientales enim erant et Orientalem condiderant Rempublicam. Aliter vero Graeci et praesertim Romani. Haud admittebant in exercitus, in legiones, nisi cives suos: sociis peculiarem assignabant locum, barbaros inde excludebant et extraneos mercenariosque omnes. Haud patiebatur Reipublicae honos, ut ab aliis defenderetur praeterquam a civibus suis.

Ne repetamus, hercle, omnia ex emolumenti studio, quod vulgus loquitur. Haud vile sit illud, sit etiam honestum et probandum: tamen numquam peperit facinora generosa. Sunt, credo, alia incitamenta generis nostri. Inditus est gentibus, aliis alius, sed omnibus pariter, suae dignitatis sensus: unde honoris caussa, honoris vindicandi studium, admirabile principium actionum humanarum, unice illud efficax ad dignitatem cujusque tuendam, augendam, illustrandam, et dominans plane in gentium rebus, praesertim antiquarum. Negligenti illud in Historiâ tractandâ, quomodo cui placeat Historia, equidem non intelligo.

## *De Politica Veterum.*

Arctis haec erat limitibus circumscripta. Pertinebat ad civitates, communibus sacris legibusque conjunctas, κοινωνίας omnino et veluti civium sodalitia: in quibus ita vivebatur, ut civium quisque suo-

suorum summam, sed nullam fere aliorum hominum rationem haberet. Stupendi sunt hac in caussa recentiorum gentium progressus. Haud refertur Politica nostra, prouti apud ipsos etiam Romanos, ad cives tantum, eorumdem comitiorum socios, ut caeteros habeamus extraneos et barbaros. Latius prospicimus, et *hominem* veneramur in hominibus, ubicumque degant et quibuscumque sint moribus, rudibus etiam et barbaris prorsus. Ex quo infinita exstiterunt instituta, antiquis ignota, humanitatem propagantia per genus humanum. Verumtamen ipsis illis, quas dixi, antiquae Politicae angustiis vis ejus peculiaris et propria tribuenda videtur. Cum *viverent* plane Antiqui pro Republicâ quisque suâ, politici ducebantur honoris sensu, sublimi prorsus et nobis ignoto.

---

Ex origine, ni fallor, et naturâ antiquarum civitatum facile ducuntur haec omnia. Sed praesertim inde explicanda est quaestio:

*Quae censebatur optima antiquitus civitatum conditio?*

Rempublicam laudabant alii Spartanam, Atheniensem alii, alii, in quibus Polybius, Romanam; sed optimam censuerunt omnes cujuscumque civitatis conditionem, quando in communem salutem, in communem gloriam incumberent conjunctim universi cives. Vocabant eam Attici Oratores δημοκρατίαν, justo sane nomine, si quidem universi populi significaretur auctoritas. Verum enim, cum haec a nonnullis ὀχλοκρατίας acciperetur sensu, accuratius philosophi deteriorem civitatis rationem δημοκρατίαν dixerunt, optimam

ve-

vero ἀριστοκρατίαν. Aspasia apud Platonem ([1]) Rempublicam celebrans Atheniensem, ἡ γὰρ αὐτὴ πολιτεία, inquit, καὶ τότε ἦν καὶ νῦν 'ΑΡΙΣΤΟΚΡΑΤΙ'Α, ἐν ᾗ νῦν τε πολιτευόμεθα, καὶ τὸν ἀεὶ χρόνον ἐξ ἐκείνου ὡς ταπολλά· καλεῖ δὲ ὁ μὲν αὐτὴν δημοκρατίαν, ὁ δὲ ἄλλο, ᾧ ἂν χαίρῃ· ἔστι δὲ, ἀληθείᾳ, μετ' εὐδοξίας πλήθους 'ΑΡΙΣΤΟΚΡΑΤΙ'Α. „*Forma autem Reipublicae et tunc erat et est etiamnunc* ARISTOCRATIA, *illa quippe secundum cujus normam et hodie civitatem nostram administramus et administravimus semper ab illo inde tempore quam plurimum. Eam autem alius vocat democratiam, alius quocumque maxime gaudeat nomine; sed reapse* ARISTOCRATIA *est e sententia et voluntate multitudinis constituta.*" Critica etiamnunc desideratur horum nominum disquisitio ([2]); sed verbis missis, si rem spectamus, probatam a Veteribus eam maxime videbimus civitatem, quae conjunctionis aequalitatisque studiis conveniret maxime: ut cives omnes, una cum patriciis plebeji, in communibus omnium comitiis sua ferrent de rebus gravissimis suffragia; patres autem, οἱ ἄριστοι i. e. οἱ εὐπατρίδαι summa aequalitate secum invicem conjuncti, communiter et secundum leges civitatis, civitatem administrarent.

Et hinc etiam haec altera quaestio sponte declaratur:

*Quan-*

(1) Menex. 238. C.

(2) Rem egregie aggressus est Lusacius in accurata disputatione de nomine ἀριστοκρατία in notis ad Orat. *de Socrate cive* p. 63 seqq. Nos Veterum secuti philosophorum exemplum, in tota hac disquisitione *aristocratiam* sumsimus optima democratiae significatione, *democratiam* ochlocratiae aequiparavimus. Quod monendum videbatur, ne ancipiti verborum potestate rerum expositio obscura redderetur.

*Quandonam constans videbatur maxime civitatum antiquarum conditio?*

Tum videlicet, quando maxime ducerentur hisce studiis communionis: sic enim potissimum naturae obsequebantur suae. Omnium haec est sententia Politicorum veterum, inprimis Platonis.

In fingenda civitate, quae perfecta esset et constans, memorat continuo Plato, quod supra attigi, Pythagoricum illud: κοινὰ τὰ φίλων. Nisi hoc usurpetur ab omnibus et loquendo et agendo, firmam esse negat reipublicae conditionem. Sed praecipit etiam, ut suum agat quisque, non unus omnia: praesint civitati gubernatores, defendant eam custodes, prosint ei singuli pro ingenio quisque suo et facultate; non vero studeant regere, qui regi debeant: nam navis instar, inquit, peribit necessario civitas, quando jus gubernaculi affectant omnes. Omnium esse oportet rempublicam, sed suum quisque conferat ad eam tuendam. Sic e diversorum veluti sonorum concentu harmonia existet civitatis, et firmum vinculum, quo continebitur in perpetuum. Una sic erit civitas, etiamsi sit composita ex variis partibus, constans sic erit et stabilis, tantum non aeterna.

Huc nobis escendendum fuit, ut rite jam disquiramus de lapsu Graecorum et Romanorum. Et haec etiam disquisitio e principiis, quae posuimus, tota erit petenda.

---

Gravissimae fuerunt in civitatibus Graecis, Romae inprimis, civium inter se discordiae et altercationes, quas nonnulli arbitrantur Rebuspublicis illis nocuisse. Equidem non ita existimem.

 Per-

Pertinebant lites illae ad aequalitatem provehendam civilem. Quodsi hostes advenire dicerentur, raro accidit, ut non omnes ad rempublicam defendendam confestim induerent arma. Novimus, mediis istis turbis civilibus viguisse plane rempublicam Atheniensem et Romanam. Necessariae erant, ut oriretur aliquando, quam Plato vocat, universae reipublicae harmonia. Et constat, postquam e litibus istis orta esset tandem justa plebeji ordinis et patricii aequalitas, tum demum Romam esse *Romam* coepisse. Sed aliunde repetendus videtur civitatum antiquarum lapsus.

### *De lapsu civitatum antiquarum.*

Quam optimam duxerint veteres, quam firmam praesertim civitatis conditionem, declarare jam studuimus. Quamdiu, dicebant, ἄριστοι erunt οἱ ἄριστοι, optimi erunt Optimates, et communiter prospicient civitati, firma erit respublica et una. Quodsi cesset haec mutua eorum conjunctio et distrahantur a se invicem, sensim abibit Aristocratica ratio in ὀλιγαρχίαν, in δημοκρατίαν, in τυράννιδα tandem, gravissimum reipublicae morbum. Paucis his verbis vastum argumentum complectebantur antiqui.

Loquimur nos fere de civitatibus et regnis, tanquam de machinis quibusdam, quae virium veluti contrariarum oppositione contineantur. Nec video, quomodo sic explicemus civitatum, quas memoravi, conversiones. Non ita solebant Antiqui. Οἶσθ᾽ οὖν, ait Plato (1), ὅτι καὶ ἀνθρώπων εἴδη τοσαῦτα ἀνάγκη τρόπον τινὰ εἶναι, ὁσάπερ καὶ πολιτειῶν· ἢ οἴει ἐκ δρυός ποθὲν ἢ ἐκ πέτρας τὰς πολιτείας γίγνεσθαι, ἀλλ᾽ οὐχὶ ἐκ τῶν ἠθῶν τῶν ἐν ταῖς πόλεσιν, οἳ ἂν ὥσπερ ῥεύσαντα τἆλ-

(1) De Rep. VIII. 544. D.

τἄλλα ἐφελκύσηται; *Novisti, tot etiam necessario esse hominum genera debere, quot sunt rerumpublicarum formae. An vero ex ligno existimes aut saxo ortas esse respublicas: non ex* MORIBUS, *qui in civitatibus obtinent; qui, quocunque veluti profluunt, caetera etiam omnia secum trahunt?* Civitatem cogitabant Veteres ut hominum societatem, hominum iccirco studia, appetitus, vitia et virtutes referentem, hominis omnino ratione viventem, florentem, languentem etiam et pereuntem. Quae existimandi norma naturae est conveniens et facile exponit rerumpublicarum conversiones, quae *naturales* dicebantur Veteribus (1). Age, hac eas normâ persequamur.

Nulla Respublica sine tumultibus et seditionibus. Studium conjunctionis sponte parit aequalitatis studium, uberrimum fontem controversiarum. Et salva esse respublica potest, etiamsi plebs non tantum cum senatu et patriciis, sed ipsi etiam patricii inter se altercentur. Vita est reipublicae ἡ παῤῥησία. Et quid civitati noceant altercationes, quae de communi civitatis caussa instituuntur? Verum enim, quando cives, sive plebeji sive patricii suum potius quam universi populi commodum spectant, et multo etiam magis, quod caput est rei, quando disjunguntur a se invicem patres, et factio in iis existit, quae sola dominari in senatum et rempublicam studet; tum periit aristocratia, cujus locum occupat oligarchia, et cedit per totam civitatem partium studio reipublicae amor.

Prudenter ita veteres de lapsu rerumpublicarum existimarunt. Respexerunt enim originem illarum et naturam, quae conjunctionis, κοινωνίας, studio continebatur. Hoc studio, ajebant, increscunt, invalescunt, vigent, florent civitates omnes. Quodsi am-

(1) Cic. de Divin. II. c. 2.

ambitio, regnandi cupido, avarities, aliarum gentium aemulatio et suae contemtio, una cum pessimis quibusque libidinibus et vitiis, distrahant cives, maxime patres; tam firmam esse negabant Rempublicam ullam, quae ita non sponte dilaberetur.

Civitas ad lapsum prona, ex hac oligarchica conditione necessario incidit in democratiam. Quicumque in patribus soli, vel cum paucis quibusdam dominari cupiunt, hi auram captare popularem nituntur, leges abrogant plebi molestas, plebi praebent munera et spectacula; id scilicet callide agentes, ut augeant ita et firment factionem suam. Sed plebs ita simul et infimum adeo vulgus ad licentiam, proterviam, insolentiam, auctoritatis adeo appetitum incenditur, regnare plane studet et dominari, quamvis serviens prorsus paucis istis, qui rempublicam occupant.

Misera haec fuit Romanorum conditio bellorum civilium temporibus. Haud deërant quidem, qui antiquam propugnarent libertatem, et mores imitarentur majorum, non magis a servitute alienos, quam a praesente licentia; sed parvus erat eorum numerus. Erant fere omnes Syllani, Cinnani, Mariani, Caesariani: Romani reperiebantur paucissimi. Ruebat ita in interitum suum respublica Romana, quippe non una amplius, ut olim, sed in multas partes distracta. Imo divisa dici poterat in varias κοινωνίας, societates, respublicas, sibi invicem inimicas et adversus se invicem alias gentes invocantes.

E democratica hac, sive ochlocratica ratione in tyrannidem delabebantur fere civitates vetustae. Verum hoc argumentum tam grave est, atque tam late patet in veterum politica, ut singulatim videatur tractandum.

# ANIMADVERSIONES POLITICAE

DE

# TYRANNIDE

ET

# ANTIQUARUM CIVITATUM INTERITU.

— Νόμος ἐπειδὴ κύριος ἐγένετο βασιλεὺς τῶν ἀνθρώπων, ἀλλ' οὐκ ἄνθρωποι τύραννοι νόμων.

*Plato Ep.* VIII. 354 C.

Pessima dicebatur Veteribus civitatis conditio, quando tota esset tyranno subjecta. Etenim nullam ita relinqui communionem aut societatem, nullam ita esse Rempublicam. Sed ipsos audiamus Antiquos de civitatum interitu sententiam suam proferentes.

In summa simplicitate admirabilis est Herodoti sagacitas in judicandis rebus gentium. De Atheniensibus ita disserit: Δηλοῖ δὲ οὐ καθ' ἓν μοῦνον, ἀλλὰ πανταχῆ, ἡ ἰσηγορίη ὡς ἔϛι χρῆμα σπουδαῖον· εἰ καὶ Ἀθηναῖοι τυραννευόμενοι μὲν, οὐδαμῶν τῶν σφέας περιοικεόντων ἔσαν τὰ πολέμια ἀμείνους, ἀπαλλαχθέντες δὲ τυράννων, μακρῷ πρῶτοι ἐγένοντο. Δηλοῖ ὦν ταῦτα, ὅτι κατεχόμενοι μὲν, ἐθελοκάκεον, ὡς δεσπότῃ ἐργαζόμενοι· ἐλευθερωθέντων δὲ, αὐτὸς ἕκαϛος ἑωϋτῷ προθυμέετο κατεργάζεσθαι. „ *Apparet autem, non hoc uno exemplo, sed ubique, quam praeclara res sit juris aequalitas. Nam et Athenienses, quamdiu sub tyrannis erant, nullis ex finitimis populis bello fuerunt superiores; tyrannis autem liberati, longe primi evaserunt. Quae res*

*res declarat, quoad tyrannide fuerunt pressi, ultro illos minus fortiter rem egisse, quippe pro domino laborantes: postquam vero in libertatem sunt restituti, unusquisque pro se ipse studiose dabat operam, ut recte rem gereret* (1)."

Pariter existimabant Lacedaemonii de vi tyrannidis ad solvendas civitates. „ Quum viderent hi Athenienses augeri opibus et neutiquam paratos sibi parere, reputarunt secum, *ὡς ἐλεύθερον μὲν ἐὸν τὸ γένος τὸ Ἀττικὸν, ἰσόῤῥοπον τῷ ἑωυτῶν ἂν γένοιτο, κατεχόμενος δὲ ὑπὸ τυραννίδος, ἀσθενὲς καὶ πειθαρχέεσθαι ἑτοῖμον· populum Atheniensem, si libertate uteretur, sibi viribus fore parem; sin tyrannide premeretur, infirmum fore et ad parendum pronum* (2)." Et vero sic opinantes, Hippiam, Athenis ejectum antea, in pristinam restituere tyrannidem constituerunt. Iccirco et hunc arcessiverunt, et socios convocarunt, ut certiores eos facerent de proposito suo. „ Nos, dicebant, ingrato Atheniensium populo rempublicam restituimus: qui postquam per nos liberatus vires recepit, nos et regem nostrum contumeliose urbe ejecit et majores quotidie spiritus sumit. — Quoniam igitur nos, ista faciendo peccavimus, nunc operam dabimus, ut malo medentes vobiscum illos puniamus. Hanc enim ipsam ob caussam et Hippiam hunc arcessivimus, et vos e civitatibus convocavimus, ut communi consilio et consociatis armis illum Athenas reducamus, eique quae ademimus restituamus."

Haec Spartani, qui Atheniensibus, aemulis suis et capitalibus adeo hostibus pessima quaeque inferre student. Socii vero, minus

(1) Herod. V. 78. (2) Herod. V. 91.

nus illos exosi, tyrannide memoratâ, indignantur penitus; et exsurgens Sosicles Corinthius, tam elato concitatoque orationis genere in hoc tyrannidis inferendae propositum invehitur, ut prorsus Orientale quid sonet. „ Ἦ δὴ, exclamat, ὅ τε οὐρανὸς ἔσται ἔνερθε τῆς γῆς, καὶ ἡ γῆ μετέωρος ὑπὲρ τοῦ οὐρανοῦ, καὶ οἱ ἄνθρωποι νομὸν ἐν θαλάσσῃ ἕξουσι, καὶ οἱ ἰχθύες τὸν προτερον ἄνθρωποι, ὅτε γε ὑμεῖς, ὦ Λακεδαιμόνιοι, ἰσοκρατίας καταλύοντες, τυραννίδας ἐς τὰς πόλις κατάγειν παρασκευάζεσθε· τοῦ οὔτε ἀδικώτερον οὐδέν ἐστι κατ' ἀνθρώπους, οὔτε μιαιφονώτερον. *Imo vero coelum sub terram subibit, et terra supra coelum erit sublimis, hominesque habitabunt in mari, et pisces domicilium occupabunt hominum, quando Vos quidem, Lacedaemonii, juris aequabilitate sublata, tyrannides in civitates reducere paratis: quo nihil est in hominibus iniquius, nihil sceleratius.* Etenim, si vobis bonum hoc videtur, ut a tyrannis regatur civitas, ipsi primum apud vos ipsos tyrannum constituite, et sic deinde apud alios constituere tentate! Nunc, qui tyrannos numquam estis experti, diligentissimeque cavetis, ne quis Spartae exoriatur, indigne cum sociis agitis. Quodsi vos experti essetis, quemadmodum nos; rectius de hac re, quam nunc, judicare possetis."

Enarrat deinceps, quanta tyrannis damna intulerit Corinthiorum populo; quibus hoc subjungit: „ Hujusmodi vobis est tyrannis, o Lacedaemonii, et talia sunt illius facta! Nos vero tunc statim mirabamur, quum a vobis Hippiam arcessiri cognovimus; nunc vero magis etiam miramur, haec a vobis verba fieri: ἐπιμαρτυρόμεθά τε, ἐπικαλεόμενοι ὑμῖν θεοὺς τοὺς Ἑλληνίους, μὴ κατιστάναι τυραννίδας ἐς τὰς πόλις. *vosque obtestamur, Deos invocantes Graeciae praesides, ne tyrannides in civitatibus constituatis.*"

Aderat hisce consiliis ipse Hippias, qui nullus dubitabat, quin vim omnem Atheniensium facile esset fracturus, si illis praeficeretur tyrannus: quod patet ex ejus dictis. Respondit enim, eosdem, quos ille, Deos testes invocans: *ἦ μὴν Κορινθίους μάλιϛα πάντων ἐπιποθήσειν Πεισιστρατίδας, ὅταν σφι ἥκωσι ἡμέραι αἱ κύριαι ἀνιᾶσθαι ὑπ' Ἀθηναίων. certe Corinthios maxime desideraturos Pisistratidas, quando affuerint illis statuti dies, quibus illos vexaturi sint Athenienses."*

Tum vero caeteri socii, qui adhuc tacuerant, extemplo pro se quisque vocem rumpentes, Sosiclis accedebant sententiae, obtestabanturque Lacedaemonios, ne quid adversus Graecam civitatem novi molirentur.

---

Sed prodeat in primis Plato, qui viam nobis munivit ad probe existimandum de civitatum lapsu. Doceat nos idem porro, quomodo ex oligarchia et democratia in tyrannidem vergat et interitum Respublica.

Crepant omnes, inquit (1), in democratia libertatem; verum *οὐκ ἐξ ἄλλης πολιτείας τυραννὶς καθίϛαται ἢ ἐκ δημοκρατίας. — Ἡ γὰρ ἄγαν ἐλευθερία ἔοικεν οὐκ εἰς ἄλλό τι ἢ εἰς ἄγαν δουλείαν μεταβάλλειν. „ non ex alia Reipublicae conditione exsistit tyrannis quam e democratia. — Nam nimia libertas haud in aliud videtur, quam nimiam in servitutem abire.* Exoritur *ἐκ τῆς ἀκροτάτης ἐλευθερίας δουλεία πλείϛη τε καὶ ἀγριωτάτη, e libertate extrema, gravissima et ferocissima servitus."* Scilicet adulandâ plebe concertant fere

sej

---

(1) Rep. VIII. 564. A.

secum invicem plebis *προστατεῖ*, donec unus tandem ex illis aemulos vincit et solus omnium sibi favorem conciliat. Is dein laudibus in coelum extollitur; sed nimis ita elatus, brevi in cives saeviet ut in servos dominus. Sed totum negotium ipse nobis enarret Socrates, sic apud Platonem cum Glaucone confabulans. Ἆρ' οὖν, inquit, *οὐ ταῖς μὲν πρώταις ἡμέραις τε καὶ χρόνῳ προσγελᾷ τε καὶ ἀσπάζεται πάντας, ᾧ ἂν περιτυγχάνῃ, καὶ οὔτε τύραννος φησὶν εἶναι, ὑπισχνεῖται τε πολλὰ καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ;* ,, *Nonne primis quidem diebus omnes quicunque obvii fuerint, blande salutat, omnibus arridet, seque tyrannum esse negat, et plurima tam privatim, quam publice pollicetur?* tum novas tabulas in populi gratiam indicit, nexu eum et aere alieno liberat, agros distribuit, et populo universe et iis qui populi partes sequuntur, omnibus denique se propitium exhibet et patris videtur instar? *Glauco.* Necesse est. *Socr.* At ubi externos hostes vel sibi conciliavit vel profligavit, et quietem ab iis sibi peperit; bellorum tamen occasionem subinde serit, ut ductorum operâ et industriâ populus indigeat. *Gl.* Consentaneum est. *Socr.* Iccirco etiam, ut collatis ad bellum gerendum pecuniis, populus in dies magis magisque exhauriatur, & minus ipsi possit struere insidias. *Gl.* Perspicuum est. *Socr.* Quin etiam, si quos agnoverit liberali esse ingenio, et illos non temere suspicetur ipsius imperium detrectaturos; ut illorum delendorum occasionem sibi paret, eos hostibus objicit. His omnibus de caussis necesse est, tyrannum ad omnes belli excitandi opportunitates intentum esse. *Gl.* Necesse est. *Socr.* Dum vero hoc agit, fieri non potest, quin civium odio vehementius involvatur. *Gl.* Quidni? *Socr.* Nonne et ii qui tyrannidi constituendae operas contulerunt, et apud tyrannum pos-

possunt plurimum, tandem eo deveniunt, ut audacius cum illo agant et inter se tyranni acta manifeste culpent, praesertim si qui animo excelsiore fuerint? *Gl.* Verisimile est. *Socr.* Illos igitur omnes tyrannus e medio debet tollere, si plenam quidem auctoritatem habiturum sit ipsius imperium: quousque neminem vel amicorum vel hostium reliquerit alicujus pretii, qui ejus conatus turbare possit. *Gl.* Constat. *Socr.* Perspicere igitur debet etiam atque etiam, ecquis sit fortis, ecquis excelso animo praeditus, ecquis prudens, ecquis dives: ita enim beatus est, ut velit nolit, his inimicus sit futurus ipse, iisque structurus insidias, donec ab iis urbem liberaverit atque purgaverit. *Gl.* Praeclaram purgationem narras. *Socr.* Certe contrariam illi, qua medici expurgant corpora: siquidem medici quod in corpore est deterrimum auferunt, ut optimum relinquant: tyrannus vero contrarium facit. Illi quidem imponitur necessitas ita agendi, si modo summam auctoritatem sit habiturus. Felicis nimirum necessitatis vinculis adstrictus est, quae illi praecipit, ut vel cum plurimis improbis vitam agat, a quibus etiam odio habeatur, vel omnino e vita exeat. *Gl.* Hujusmodi est illius conditio. *Socr.* Nonne etiam, quo infensiores habet cives, dum ita se gerit, eo plurium et fideliorum satellitum custodiâ indiget? *Gl.* Quidni? *Socr.* Ecquinam vero tyranno fideles fuerint satellites, et unde eos arcesset? Ultro advolabunt complures, mercedis nidore pellecti, si eam non parce largiatur. *Gl.* Fucos iterum, per canem, videris mihi dicere externis et variis ex gentibus confluentes. *Socr.* Vere tibi videor. Indigenas autem, nonne hos etiam expetat? *Gl.* Quo pacto? *Socr.* Servos, civibus ademtos, nonne libertate donatos in satellitum suorum numerum adsciscat? *Gl.* Maxime vero, quoniam hi ipsi fidelissimi erunt.

*Socr.*

*Socr.* Praeclaram narras tyranni possessionem, si talibus amicis fidisque hominibus utitur, cum priores illos perdiderit. *Gl.* At vero talibus utitur. *Socr.* Atqui mirantur eum hi amici et vivunt cum eo novi cives: boni autem viri oderunt eum et fugiunt. — Sed dicamus de exercitu tyranni, pulcro illo et copioso et vario et numquam eodem, unde illum alet? *Gl.* Manifestum, si quae sacrae sint opes in civitate, has eum consumturum, quousque illae sufficient, quae venduntur, dum leviora exigit a plebe tributa (1). *Socr.* Quid vero, si haec deficiant? *Gl.* Manifestum, e paternis eum nutritum iri et simul ejus convivas et amicos amicasque. *Socr.* Intelligo: populus scilicet, qui tyrannum genuit, ipsum amicosque alet. *Gl.* Necesse est prorsus. *Socr.* Quid vero, si succenseat populus, dicatque, haud aequum esse, ut adultus filius a patre amplius nutriatur, sed contra a filio pater: neque se ad hoc eum genuisse, ut adulto jam filio, pater ipse, servis ejus serviens, et ipsum nutriat et ipsius servos et caeteros praeterea omnes undique confluentes ejus adstipulatores; verum ut a divitibus his, qui praeclari et boni existimantur in civitate, hoc praeside liberetur: atque jubeat populus abire illum e civitate ejusque amicos,

(1) Graece legitur: *Δῆλον, ὅτι ἐάν τὲ ἱερὰ χρήματα ᾖ ἐν πόλει, ταῦτα ἀναλώσει, ὅποι ποτὲ ἂν ἀεὶ ἐξαρκῇ τὰ τῶν ἀποδομένων, ἐλάττους εἰσφορὰς ἀναγκάζων τὸν δῆμον εἰσφέρειν.* In quibus mutandum censuit Steph. — *ὅπῃ ποτὲ* — *τὰ ἀποδιδομένων*, vel, *τὰ ἐκ τῶν ἀποδιδομένων.* Nec tamen persuadere mihi possum, bene se habere locum huncce. Excidisse quaedam existimem post *ἐάν τε ἱερὰ χρήματα ᾖ ἐν τῇ πόλει*, quae respondeant isti *ἐάν τε*, quod non habet apodosin.

perinde ac pater filium domo una cum debacchantium turba depellens? *Gl.* Agnoscet per Jovem tunc demum populus, qualis quale animal gignens, amplexus sit istud et auxerit: et infirmiorem sese validiores expellere. *Socr.* Quid ais? Audebit tyrannus patri vim inferre, et, si non obtemperet, verberare? *Gl.* Immo vero, auferens quippe illi arma. *Socr.* Parricidam dicis tyrannum durumque senectutis altorem: *καὶ ὡς ἔοικε, τοῦτο δὴ ὁμολογουμένη ἂν ἤδη τυραννὶς εἴη, καὶ, τὸ λεγόμενον, ὁ δῆμος Φεύγων ἂν καπνὸν δουλείας ἐλευθέρων, εἰς πῦρ δούλων δεσποτείας ἂν ἐμπεπτωκὼς εἴη, ἀντὶ τῆς πολλῆς ἐκείνης καὶ ἀκαίρου ἐλευθερίας τὴν χαλεπωτάτην τε καὶ πικροτάτην δούλων δουλείαν μεταμπισχόμενος: utque fertur, populus servitutis liberorum hominum fugiens fumum, in flammam servilis dominationis incidit, loco ingentis illius et importunae libertatis durissimam acerbissimamque servorum subiens servitutem.*"

Vix quidquam praetermittendum censui in palmaria hac tyranni et tyrannidis descriptione, quam Graeca non tantum, sed omnis aevi historia probavit. Agnoscimus in ea enim cum Graecos tyrannos, Platoni notos, tum Agathoclem, Tarquinium, Cassium, Appium Claudium, Syllam, Caesarem, Augustum, Cromwellum adeo et in novissima historia Napoleontem.

E democratia exsistit tyrannis, Platone judice et probante historia gentium. Sed diligentius etiam animadverte, *qua ratione* inde exsistat. „ Si quando, ait Socrates (1), in civitate nascatur tyrannus, *ἐκ προστατικῆς ῥίζης καὶ οὐκ ἄλλοθεν ἐκβλαστάνει, non aliunde pullulat, quam e radice eorum, quos sibi praeposuit populus.*"

Quod-

(1) Rep. VIII. 565 D.

Quodsi quaeris, quomodo popularis ejusmodi vir tyrannus evadat; respice fabulam de templo Jovis Lycaei in Arcadia. Quisquis illic humana viscera cum aliarum victimarum visceribus incisa forte gustasset, is statim fiebat lupus. „ Eodem modo et hic, cujus imperio vulgus obtemperat plane, cognato non abstinet sanguine; sed falsis, ut solent, confictis criminibus in judicium trahit eos, a quibus timet, et injusta se caede cruentat, viri vitam exstinguens, gustansque lingua impura et profano ore generis proximi sanguinem: ac nonnullos pellit, necat alios, suasorem se aeris alieni decidendi, agros distribuendi praebens: hujusmodi homo, necesse est, ut deinceps vel ab inimicis interficiatur, vel tyrannidem exerceat atque ex homine lupus fiat (1)."

Sed ortum tyrannidis jam ante Platonem enarraverat Historiae, adde Politicae, parens, incomparabilis *Herodotus*. E democratia eam repetit pariter. Δήμου τε αὖ ἄρχοντος, ἀδύνατα μὴ οὐ κακότητα ἐγγίνεσθαι· κακότητος τοίνυν ἐγγινομένης ἐς τὰ κοινὰ, ἔχθεα μὲν οὐκ ἐγγίνεται τοῖσι κακοῖσι, φιλίαι δὲ ἰσχυραί· οἱ γὰρ κακοῦντες τὰ κοινὰ, συγκύψαντες ποιεῦσι· τοῦτο δὲ τοιοῦτο γίνεται ἐς ὃ ἂν προστάς τις τοῦ δήμου τοὺς τοιούτους παύσῃ· ἐκ δὲ αὐτῶν θωυμάζεται οὗτος δὴ ὑπὸ τοῦ δήμου· θωυμαζόμενος δὲ, ἀν' ὦν ἐφάνη μούναρχος ἐών. *Imperante plebe, fieri non potest, quin pravitas se insinuet: pravitate vero in republica gliscente, inimicitiae quidem inter pravos non existunt, sed validae amicitiae: nam qui reipublicae malefaciunt, conspirantes id agunt: atque hoc ita succedit, usque dum exsistat aliquis populi patronus, qui hisce finem imponat. Eo fit igitur, ut hunc talem miretur populus: et mox eidem, quem populus miratur,* sum-

(1) Rep. VIII. 565 E.

*summa imperii defertur* (1). Sed ducit item tyrannidem ex optimatum imperio, quod nondum ab oligarchia distinguit: in quo, ait, ἔχθεα ἴδια ἰσχυρὰ φιλέει ἐγγίνεσθαι· αὐτὸς γὰρ ἕκαστος βουλόμενος κορυφαῖος εἶναι, γνώμῃσί τε νικᾶν, ἐς ἔχθεα μεγάλα ἀλλήλοισι ἀπικνέονται· ἐξ ὧν στάσιες ἐγγίνονται, ἐκ δὲ τῶν στασίων, φόνος· ἐκ δὲ τοῦ φόνου, ἀπέβη ἐς μουναρχίην· *validae privatim inimicitiae exsistere amant: etenim cum quisque cuplat esse princeps, velitque ut sua sententia vincat, in magnas incidunt inimicitias: tum ex inimicitiis existunt seditiones, e seditionibus caedes, et ex caedibus ad unius imperium res redit.* Breviter omnino et sine ullâ sapientiae politicae ostentatione, sed efficaciter et sane verissime, ut Romana inprimis historia docuit. Et sermones illi omnino Persarum de optimo imperio, unde haec desumta sunt, fons mihi semper visi sunt germanae politicae. Adjiciamus his item ex eodem loco tyranni descriptionem, Herodoteam prorsus. „ Quo pacto bene composita res fuerit unius imperium? cui licet, rationibus reddendis non obnoxio, facere quidquid libuerit. Tale quidem imperium, si viro etiam omnium optimo committatur, extra consuetos animi sensus facile eum abripiet. Nam praesentes opes *insolentiam* ei ingenerant: *invidia* autem principio innata est homini. Et haec duo habens, omnem habet pravitatem: alia enim scelesta multa, insolentiâ repletus, faciet; alia, invidiâ. Quamquam virum in regia dignitate constitutum oportebat utique invidiâ vacare, quippe bonis rebus omnibus abundantem. At contrarium hujus ei accidere adversus cives solet: invidet enim optimis quibusque, quod supersint vivantque: et gaudet pessimis, horumque adversus illos ca-

(1) Herod. III. 82.

calumnias facillime admittit. Quod vero maxime omnium incongruum est: si modice eum admiraris, aegre fert quod non summopere colatur; si quis eum summopere colit, offenditur, adulatorem esse existimans. Denique, ut dicam quae sunt maxima, instituta mutat patria, vim adfert mulieribus, occidit injudicatos (1)."

Caeterum proprium est fere tyrannis, ut suos alant satellites et σωματοφύλακας *corporis custodes:* quo nihil est Reipublicae magis perniciosum. „ Popularis homo, ait Plato, postquam humano gustato sanguine, lupus evasit plane, ut est in fabula, expellitur a civibus, sed invitis rediens inimicis, tyrannus redit consummatus. Frustra hi deinceps moliti denuo eum ejicere, clam ei insidias struunt et violentam intentant mortem. Τὸ δὴ τυραννικὸν αἴτημα τὸ πολυθρύλλητον ἐπὶ τούτῳ πάντες οἱ εἰς τοῦτο προβεβηκότες ἐξευρίσκουσιν, αἰτεῖν τὸν δῆμον φύλακάς τινας τοῦ σώματος, ἵνα σῶς αὐτοῖς ᾖ ὁ τοῦ δήμου βοηθός. — Διδόασι δὴ, οἶμαι, δείσαντες μὲν ὑπὲρ ἐκείνου, θαῤῥήσαντες δὲ ὑπὲρ ἑαυτῶν. *Tum propriam illam tyrannis et frequentissimam postulationem omnes inveniunt, qui eo pervenerunt; ut a populo postulent corporis quosdam custodes, ut scilicet salvus sit ipsis populi auxiliator. — Dat igitur eos plebs, de illo sollicita, de se autem secura* (2)."

Suo ita tempore originem jam significavit Plato *militum Praetorianorum*, qui devastarunt aliquando imperium Romanum. Nos vero vidimus, nostrâ aetate, hos esse tyrannidis summum praesidium.

---

Pauca nobis fragmenta supersunt Ciceroniani operis de Republi-

(1) Herod. III. 80. (2) Plato Rep. VIII. 566 B.

blica: quod dolemus sane una cum plerisque Aristotelis et omnibus Peripateticorum politicis scriptis periisse. Sed est in iis fragmentis, quod tyrannidis in rempublicam vim omnium optime declaret. „ Respublica, ait, res est populi, cum bene justeque geritur — cum vero injustus est rex, quem tyrannum voco, — non jam vitiosa, sed omnino *nulla* respublica est, quoniam non est res populi, cum tyrannus eam factiove capessat (1)." Nil usquam legi de hoc argumento, quod ipsi Reipublicae origini et naturae tam apprime responderet. Nam ita se profecto res habet. Constat populi conjunctione respublica, ut communiter omnes pro communi caussa vivant et agant. „ Ut in fidibus, ait Cicero in eodem de Republica opere (2), Platonicum illud usurpans, ut in fidibus, ac tibiis, atque cantu ipso, ac vocibus concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, quem immutatum ac discrepantem aures eruditae ferre non possunt, isque concentus ex dissimillimarum vocum moderatione concors tamen efficitur et congruens: sic ex summis et infimis et mediis interjectis ordinibus, ut sonis, moderata ratione civitas consensu dissimillimorum concinit, et quae harmonia a musicis dicitur in cantu, ea est in civitate concordia, arctissimum atque optimum omni in republica vinculum incolumitatis." Quodsi unus civis in omnes dominatur, pro communi caussa nemo amplius agit et vivit, periit harmonia civitatis, quae ex communi omnium contentione exsistit, ipsa periit Respublica, quippe res populi, conjunctione omnium et harmoniâ constans.

He-

(1) Apud August. de Civit. D. II, 21. (2) Apud Aug. eod.

Iteravit haec Cicero, civitatis ipse suae deplorans conditionem, postquam invaluerat Caesaris tyrannis, eamque deinceps alii sectati erant. „ Mea quidem sententia, scribebat (1), paci, quae nihil habitura sit insidiarum, semper est consulendum. In quo si mihi esset obtemperatum, si non optimam, at aliquam rempublicam, quae nunc *nulla* est, haberemus "

---

Liberae sunt gentes Europaeae sub Regio imperio, quo ipsae inclinant naturâ suâ. Et, quae temporum est nostrorum felicitas, ubivis in regnis vigere coepit universi populi, per *repraesentationem*, quae vocatur, vis et auctoritas. Sed ad veram hanc *Monarchicam* conditionem, unice illam firmam et stabilem, nondum pervenerant Graeci aut Romani. Δυναστείας memorant et Respublicas, illis significantes Orientalia regna, his autem complectentes omnia regiminis genera. Regium imperium dynastiis tribuunt nec ferunt, nisi in expeditionibus militaribus. Duo fuere Spartae Reges, qui in bello gerendo, ut apud Romanos Consules, summâ erant et regiâ dignitate; sed domi pares ferme erant caeteris patriciis et senatoribus, ut duplici tantum suffragio iis praestarent (2). Imo affirmat Thucydides (3), unum et hosce in senatu habuisse suffragium (4). Similiter vetustissima Romanorum conditio, quae regia erat, ad reipublicae aequalitatem, quoad ejus fieri poterat, componebatur: et quod Cicero scribit (5) de tribus in

---

(1) Off. I. 11. Cf. de Orat. I. 9. (2) Herod. VI. 57.
(3) Thuc. I. 20. (4) Ita etiam Plato de legg. III. 691 E.
(5) Apud August. de Civ. D. II. 21.

in civitate generibus, regali, optimo et populari, ad pristinam illam refertur Romae conditionem, cum nostrâ Monarchiâ, nisi speciem et nomen, nihil habet commune. Ferre non poterant antiqui regium imperium: nam aequalitate civium, maxime principum, libertatem censebant et felicitatem reipublicae. Unde vocabula ἰσότης, ἰσηγορία, ἰσοτιμία, ἰσονομία, ἰσοκρατία, quae in scriptis eorum utramque pene paginam faciunt, quibusque est fere synonymum ἐλευθερία. Libertatem esse negabant antiqui prudentes, nisi in optimâ Reipublicae conditione, quae habebatur ἀριστοκρατική: et tantum aberant ab hac nostrâ cogitandi ratione, ut huic opponerent regium imperium, quo tyrannidem intelligebant, illudque vocarent servitutem summam.

Confundi saepenumero solent βασιλεὺς et τύραννος: et fateor, antiquo aevo, apud Herodotum maxime, promiscue subinde usurpata esse nomina haecce. Sed quo magis constitui verborum significatio coepit, βασιλεῖς peculiariter sunt dicti, quicumque e regiâ oriundi stirpe, jure et lege Regiâ essent auctoritate, ut Reges Persarum, Macedonum, antiqui Atheniensium reges, reges etiam Spartanorum, Heraclidarum posteri; distincti autem ab his sunt quam accuratissime τύραννοι. Hi vocabantur εὐπατρίδαι, patricii, cives omnino Reipublicae, qui civium tollere aequalitatem studerent, ut ipsi praeter jus et leges in civitatem dominarentur.

Temporibus quae viximus ante hos viginti aut triginta annos, multi sunt reperti, qui hoc negligentes discrimen, in Reges inveherentur omnes tanquam tyrannos, et Veterum adhiberent de tyrannis sententias, quas in Reges applicarent. Sic factum, ut sedatioris indolis homines et hosce contemnerent recentioris aevi politicos et simul etiam antiquos. Perverse profecto utrique.

Nam

Nam comparari non possunt cum antiquis rebuspublicis recentiorum civitates liberae, gentes foederatae, nedum Monarchiae. Gentium Germanicarum alia est indoles, quam Graecorum aut Romanorum: quo factum, ut irrita fuerint praecedente saeculo Europaeorum tentamina, quum ubivis inducere studerent Romanae Reipublicae conditionem. Neque exstitit etiam in iis tyrannus, proprie hoc nomine dicendus, nisi ex ficta ejusmodi Republica, apud Anglos olim Cromwellus, et novissimis temporibus Napoleon, universae in gentibus Europaeis tyrannidis auctor.

Quamobrem, quod Graeci egerunt, rite distinguendi erant Reges et Tyranni, et, quod omnium minime negligendum, exploranda erat interius antiquarum civitatum origo et natura. Ortae sunt illae, quod saepius iteravi, sed quod omnis est politicae antiquae summum principium, unde omnia repetenda, ortae sunt, inquam, e communibus sacris, e communibus festis, e communionis omnino et societatis studiis. Constabant communibus civium juribus, nobiliorum coetibus, universi populi comitiis. Vigere iccirco et florere non poterant, nisi hac civium conjunctione et in res publicas auctoritate, in primis patriciorum et senatorum communibus studiis, consiliis, aequalitate. Et floruerunt ita Athenae, Sparta, civitates Graecae, floruit ita inprimis Roma, ubi auctoritate gerebantur omnia et *populi* et *Senatus*, ubi *Majestas* celebrabatur populi Romani, atque ad hanc tuendam, provehendam, amplificandam communem omnium dignitatem, imo majestatem, conspirabant universi. Finge hujusmodi Rempublicam tyrannidi subjectam: ipso destituitur vitae principio; finge civem tyrannidem affectantem, quidni abhorreat eum tota civitas ut pestem gravissimam, et obruat continuo mole suâ?

Nec temere profecto accidit, ut καινοτομεῖν, *res novas moliri*, quo tyrannidis intelligebantur consilia, solemne imprimis illud Romanorum *regnum affectare*, horrorem incuteret antiquitus audientibus omnibus: et adversus tyrannidem inducerentur, quamvis frustra fere, ostracismus, petalismus, alia instituta. Nam docet Historia, quod dixit Plato et ante Platonem jam significaverat Herodotus, τὴν τυραννίδα in vetustis civitatibus ἔσχατον fuisse πολιτείας νόσον. Languebat Sparta, postquam cives esse cessarant ejus Reges et tyranni evaserant: reviviscebant Athenae et ad summam perveniebant gloriam, ejectis Pisistratidis. Perierunt Athenae, perierunt una cum Spartanâ respublicae Graecae Macedonico aevo, inductâ ubivis tyrannide: cui morbo nec Aratus mederi plene potuit, nec Agis aut Philopoemen.

Deleta est a Romanis Carthago, postquam, in Punicis istis bellis, ditionibus suis omnibus in Siciliâ, in Sardiniâ, in Hispaniâ, in Africâ, ipso etiam Hannibale suo destituta fuerat. Nec tamen ex his calamitatibus lapsus repetendus est celeberrimae hujus Reipublicae. Laboraverat dudum Carthago oligarchia, democratia, tandem *tyrannide* Hamilcaris, quod historicorum aetate nostrâ facile princeps, cl. *Heerenus*, quam diligentissime demonstravit. Sic intus distracta et dilacerata perferre tantas clades non potuit et succubuit tandem Romae.

Alia fuit aliarum civitatum sub tyrannis conditio. Feliciores erant Athenae Pisistrato subjectae, qui Solonis propugnabat leges, quam Syracusae sub Dionysio et Agathocle, aut Roma sub Tiberio, Nerone, similibus imperatoribus, qui proprie fuerunt Reipublicae τύραννοι. Pendebant nempe omnia ab ipsius tyranni indole: quamobrem *felicitas* adeo censetur imperii Romani Antoni-

no-

norum aevo. Sed, quod Cicero scribebat, Caesare tyranno, nulla erat Respublica, et quaecunque gerebantur praeclare, ex pristino Reipublicae vigore exsistebant, qui, deperdita etiam Republica, non totus erat exstinctus. Et vero Roma esse *Roma* desiit, inducta tyrannide.

E Platone abumbrare studui, quomodo e Patriarchia exstiterint Respublicae, comitia maxime et patrum concilia. Ut haec tollerentur penitus, nec bella effecerunt nec populorum calamitates, sed una effecit τυράννις, qua simul etiam effectum, ut denuo fere reciderent civitates in pristinam patriarchiam, barbararum gentium conditionem. Exemplo sit nobis historia Romana.

Viguerat Respublica in mediis turbis civilibus, viguerat in gravissimis periculis bellicis, ipsis illis temporibus quibus a Gallis incendebatur Roma. Imo valuerant et turbae illae et bella ad plebis atque senatus auctoritatem augendam etiam et firmandam. Sed bellis civilibus, quae tyrannidem spectabant, ecce! solvebantur omnia: et tyrannis postquam invaluit, tam nulla tum fuit Senatus dignitas, ut ridenda videretur, et, quod plebis attinet auctoritatem, comitia tantum non sustulit Tiberius.

Itaque quae populi antea fuerat et senatus Romani majestas, transferri illa coepit in Imperatores, in gregarios etiam milites, in barbaros adeo barbararum gentium duces: et nisi servasset Constantinopolis Graecae Romanaeque virtutis vestigia et indicia, evanuisset etiam medio aevo antiquorum Graecorum Romanorumque umbra. Eo scilicet valuit gravissima Reipublicae pestis, *tyrannis*.

---

Et his quidem perspectis, rite, ni fallor, existimare poterimus:

De

*De tyrannicidarum in civitatibus antiquis honore.*

Bruto posuerunt prisci Romani aeneam in Capitolio statuam, quae strictum teneret ensem, quod regno pepulisset Tarquinios (1). Athenienses, ut Harmodio et Aristogitoni, vindicibus suae libertatis, sic deinceps Bruto etiam et Cassio, quamvis Romanis, tamen, ut τυραννοκτονοῖς, eundem tribuerunt honorem. Et sane nobilissimae fuerunt in rebus Graecorum Harmodii illae et Aristogitonis statuae, Rhodum translatae post Xerxis tempora, divino honore cultae sunt, imo vero, asyli instar, refugium praebuerunt profugis. „ Graeci homines, ait Cicero (2), Deorum honores tribuunt iis viris, qui tyrannos necaverunt. Quae ego vidi Athenis! quae in aliis urbibus Graeciae! quas res divinas talibus institutas viris! quos cantus! quae carmina! prope ad immortalitatem et religionem et memoriam consecrantur." Sed animum inprimis huc adverte.

In Orientalibus populis, ut supra diximus, in Arabibus maxime, honoris caussa referebatur et refertur etiam hodie ad vindicandam *familiam* et *tribum*. Celebrari ab eorum poëtis in primis solent, qui injuriam familiae tribuique illatam fortiter vindicarunt, et vindictam spirantes perpetuo, non requieverunt, anteaquam caedis contumeliaeque auctorem cum repererint tum trucidaverint. In antiquis civitatibus, ut item jam indicavimus, ad *civitatis* caussam pertinebat civium honos, et immortalitati tradiderunt an-

(1) Plut. Bruto init. (2) Pro Milone. C. 16.

antiqui Athenienses et Romani Miltiadem, Themistoclem, Camillum, Fabium, Scipiones, innumeros alios, qui Rempublicam quisque suam ab hostibus vindicaverant. Sed, ut summum censebatur malum, *ἔσχατον πολιτείας νόσημα*, tyrannis, ita nobilior etiam habebatur in Rebuspublicis istis honoris caussa, a tyranno vindicare civitatem. Itaque inclaruerunt non tantum prae caeteris *μισοτύραννοι* et *τυραννόκτονοι*, Brutus major, Timoleon, Aratus, Cato Uticensis, Brutus et Cassius, Harmodius in primis et Aristogiton; sed Lyrici apud Graecos poëtae peculiare hoc frequentarunt poëseos argumentum, quod celebrandis tyrannicidis contineretur. Canebat Simonides praeclarum Harmodii et Aristogitonis facinus

> Ἦ μέγ' Ἀθηναίοισι φόως γένεθ', ἡνίκ' Ἀριστογείτων Ἵππαρχον κτεῖνε καὶ Ἁρμόδιος.

Celebrandis tyrannicidis totum se fere dabat Alcaeus:

*Et te sonantem plenius aureo,*
*Alcaee, plectro dura navis,*
*Dura fugae mala, dura belli!*
*—— sacro digna silentio*
*Mirantur umbrae dicere: sed magis*
*Pugnas et exactos Tyrannos*
*Densum humeris bibit aure vulgus* (1).

Quibus versibus expressit simul Horatius, quo studio exaudirentur poëtae, vindices ita patriae laudibus extollentes. Isto vivebat aevo

(1) Horat. Carm. II. 13. 26.

aevo Horatius, ut hoc argumentum, quamvis inprimis lyricum; non auderet, forte nollet, tractare; verumtamen nobilissimum illud Alcaei in Myrsilum tyrannum:

*Νῦν χρὴ μεθύσκειν, καὶ χθόνα πρὸς βίαν*
*Πωλεῖν, ἐπειδὴ κάτθανε Μυρσίλος* (1).

non potuit non, partim certe, usurpare carmine suo:

*Nunc est bibendum, nunc pede libero*
*Pulsanda tellus.*

Perierunt fere carmina illa; nam servare ea non studuit posterior Graecorum et Romanorum aetas, ab hoc poëseos genere tota aliena. Quod maxime profecto dolendum. Quod enim argumentum celsioribus animi sensibus, majore spiritu a Graecis tractari poëtis potuit? Achillis in Agamemnonem ira, ut injustum et pro arbitrio et tyrannice agentem, nec Deos hominesve veritum, ardens illa Achillis ira et indignatio antiquissimo jam aevo Homericis carminibus illustrem praebebat materiem. Quot et quanta, quamque excellentia periisse dicamus in hoc genere carmina! Quod e laudata Ciceronis sententia colligere licet. Verumtamen superest nobis in Harmodium et Aristogitonem scolion casu servatum, quippe in Athenaei Deipnosophistis custoditum: unum illud multorum instar, nec cuiquam facile ignotum, sed hic tamen adscribendum, quandoquidem spirat totum antiquarum indolem rerumpublicarum.

Ἐν

(1) Athen. X. 8. p. 430 C.

Ἐν μύρτου κλαδὶ τὸ ξίφος φορήσω,
ὥσπερ Ἁρμόδιος κ' Ἀριστογείτων,
ὅτε τὸν τύραννον κτανέτην
ἰσονόμους τ' Ἀθήνας
ἐποιησάτην.
Φίλταθ' Ἁρμόδι, οὔ τι που τέθνηκας·
νήσοις δ' ἐν μακάρων σέ φασιν εἶναι
ἵνα περ ποδώκης Ἀχιλεύς,
Τυδεΐδην τέ φασιν
Διομήδεα.
Ἐν μύρτου κλαδὶ τὸ ξίφος φορήσω,
ὥσπερ Ἁρμόδιος κ' Ἀριστογείτων,
ὅτ' Ἀθηναίης ἐν θυσίαις
ἄνδρα τύραννον Ἵππαρ-
χον ἐκαινέτην.
Ἀιεὶ σφῷν κλέος ἔσσεται κατ' αἶαν,
φίλταθ' Ἁρμόδιε κ' Ἀριστόγειτον,
ὅτι τὸν τύραννον κτανέτον
ἰσονόμους τ' Ἀθήνας
ἐποιησάτον (1).

Adhibere hoc carmen Athenienses solebant ad laetiora convivia, ut illo inprimis cantando liberae se sentirent Reipublicae cives.

Itaque ut *vindicem familiae* poëtae Arabes, sic Graeci celebrarunt poëtae *Reipublicae vindices*, tyrannorum osores et occiso-

(1) Athen. XV. 694 A. In versiculorum distributione secutus sum Grotefendii sententiam, quam memorat Schweigh. ad Ath. l. l. De ipso scolio elegans est disquisitio in Ilgenii libello: σκόλια, h. e. carmina convivalia Graecorum. Jenae 1798.

sores, qui graviorem videbantur injuriam ulti, quam quae inferri a Persis, a Scythis, ab exteris omnibus posset. Nam exstinguere existimabantur tyranni ipsam Rempublicam.

Effloruit e sensibus hisce honoris Homeri Ilias, μῆνιν spirans in superbum tyrannum, effloruerunt Lyricorum carmina, vim inde traxerunt Atheniensium tragoediae et scripta inprimis philosophorum veterum. Sed quid dicam de Oratoribus? Quibus orationibus famae immortalitatem magis assecutus est Demosthenes, quam Philippicis, Olynthiacis, illis scilicet, quibus in Philippum invehebatur Amphictyonibus adscriptum ut civem Graeciae, et Graeciae universae communem ita tyrannidem molientem? Et Marcus Tullius Cicero, qui his maxime legendis meditandisque Philippicis, vim sibi insitam oratoriam promovit, quibus hic item Orationibus vim illam et δεινότητα admirabilius prodidit, quam Catilinariis, in perditissimum tyrannum, furentem audaciâ, scelus anhelantem, pestem patriae nefarie molientem, divino ardore pronunciatis? Resonarunt iis a tenerâ inde aetate aures nostrae, anteaquam ullam legeramus ullius Oratoris orationem. Atque etiamsi ad leniores se Musas deinceps receperit Cicero, ut, Caesare dominante, de literis scriberet et philosophia, tamen, tyrannum nactus denuo, in quem inveheretur, quamvis senex sexagenario major, revixit fere et suas ipse intonuit Philippicas.

Ad servandam civium aequalitatem et conjunctionem, sed pariter ad tyrannidem cavendam, composita fuerunt omnia in antiquis civitatibus. Memoravimus jam Ostracismum, Petalismum, et norunt omnes, quam graves poenae in tyrannos sint constitutae. Sed legamus maxime memorabile Atheniensium decretum ab Andocide servatum, non minus naturam referens Atheniensis Reipu-

bli-

blicae, quam Scolion illud in Harmodium et Aristogitonem aut Philippicae Demostheneae.

„ *Si quis Athenis Democratiam* (1) *solvit, vel, solutâ democratiâ, aliquem magistratum gerit, hostis sit Atheniensium, et impune interficiatur. — Jurent per sacra Athenienses omnes: Occidam mea ipse manu, si potero, quicumque Athenis democratiam solvat, vel solutâ democratiâ magistratum gerat: caeterum si quis tyrannus evaserit, vel tyrannum adjuverit, et alius quis eum interfecerit, sacrum hunc equidem existimabo per Deos et daemones, utpote qui interfecerit hostem Atheniensium. — Quodsi quis, occiso tyranno, ipse moriatur, favebo illi ejusque posteris omnibus, uti Harmodio et Aristogitoni et posteris eorum omnibus* (2)."

---

Insanum dixerunt nonnulli ardorem hunc libertatis in vetustis civitatibus: et duxit ille sane in extrema omnia. Sed tantum abfuit, ut licentiam pareret et corrumperet Respublicas, ut unus omnium maxime integras eas et incolumes praestiterit. Teneamus modo, quod negligitur a multis,

***Discrimen inter civium licentiam et libertatem civitatis.***

*Civium licentia* quam proxime erat cum tyrannide conjuncta: peperit haec fere et aluit tyrannidem, ut docuit nos Plato et historia

---

(1) *Democratiam* de optima Reipublicae conditione usurpabant Oratores Attici, ut supra monuimus. (2) Orat. Gr. ed. Reisk. Vol. IV. p. 48.

toria Graecorum: et tyrannide invalescente, invaluit etiam multo magis et grassata est civium licentia, quod res Romanorum sub Imperatoribus satis superque probant. Sed ab omni licentia toto, quod ajunt, coelo distabat *civitatis libertas*, quae bonis moribus, legum observantiâ, senatus auctoritate, civium aequalitate et conjunctione, tamquam stabili fundamento nitebatur, et sola continebat universae Reipublicae salutem. Ad hanc tuendam conspirarunt legislatores et prudentissimi quique in civitatibus istis, qui ipsi flagrantes hoc libertatis ardore, alere eum studuerunt in civium animis.

Praeclaris his studiis factum, ut puerorum institutionem tantopere curarent philosophi, ne morum licentia ad tyrannidem aliquando duceret: ut tyrannicidas celebrarent carminibus poëtae et cantibus convivalibus universi cives: imo vero, ut poenas excogitare in tyrannos haud satis graves possent Atheniensium prudentes.

Nec satis profecto cavere poterant adversus gravissimum hoc malum. Inscii fere cives alebant tyrannum. Non poterant non colere excellentem civem, ipsorum et patriae amantem. Fatigati subinde erant civilibus turbis, ut sub unius imperio tranquille deinceps vivere cuperent. Habebat optimi principis prudens imperium, quo mirifice se commendaret omnibus. Delectabatur Xenophon imperio hujusmodi effingendo: et constituendo illo consulere studebat Plato, Syracusarum civibus. Non abhorrebat etiam ab eo ipse Cicero, quum pro Marcello diceret vindex ille olim Catilinariae tyrannidis. Occinebat sibi fere Euripidis versum:

*Σοφοὶ τύραννοι τῇ σοφῶν συνουσίᾳ.*

In

In bonam etiam partem centies apud Veteres accipiebatur *tyranni* nomen. Caeterum, ut optimi etiam cives regnum affectarent, dominandi cupido suadebat. Euripideum illud:

> Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι
> Κάλλιστον ἀδικεῖν· τἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών (1).

multos, invitos adeo, exstimulabat: adduxit item Caesarem, ut sibi Romam subjiceret. Cavendum igitur omni ratione arbitrabantur veteres, ne tyranni alerentur in civitate. Nam, quod saepius jam dixi, monarchiam ignorantes prorsus, quae nobis praestat libertatem, unius imperium ut servile abhorrebant.

Fateor, ad extrema subinde antiquos duxisse hoc odium in tyrannos. Optimos ita cives e civitate ejecerunt, ipsum adeo Aristidem, civium justissimum. Confuderunt ita vocum significationem, ut tyrannidi opponerent τὴν δημοκρατίαν, quod animadvertere licet in laudato Atheniensium decreto. Confuderunt ita ipsas regiminis formas, ut omnes reciperent, modo tyrannis caveretur: et metu hoc tyrannidis conturbatae sunt saepenumero civitates antiquae. Sed haec est natura hominis, ut proruat semper in extrema omnia: quo fit, ut optima sic subinde pessima pariant. Illud vero nos doceat antiquitatis indoles, absurdum non fuisse vehementem illum libertatis ardorem, nedum ridiculum, quod nonnullis est visum. Pertinebat totus ad τὴν ἀριστοκρατίαν firmandam, optimam Reipublicae conditionem.

Repetivi haec omnia e civitatum antiquarum origine et natura. Et

(1) Phoeniss. 527.

Et lectori jam relinquo, ut alia inde ipse ducat. Nam non omnia sunt scriptori cum pulvisculo exhaurienda. Et fons est hic uberrimus gravissimarum observationum. Sed de tyrannis et tyrannide haec insuper juvat animadvertere.

Excelluerent fere tyranni rerum militarium peritia: armis subinde condiderunt ingentia imperia. Duce Dionysio majore totam Siciliam obtinuerunt Syracusani, de qua obtinendâ tam diu pugnaverant frustra cum Carthaginiensibus: adjecerunt adeo ditionibus suis magnam partem Italiae meridionalis. Carthaginienses sub Hamilcare ad Iberum usque universam occuparunt Hispaniam, regionem ditissimam, imo alteram illic condiderunt Carthaginem. Et, ne alia commemorem, imperium Romanum ad Britanniam usque extendit Caesar, et Trajanus deinceps ad Tigrim et Euphratem. Verumtamen, quamvis splendidae et illustres, raro fuerunt stabiles victoriae illae, et semper nocuerunt Rebuspublicis. Nam, quae constans est tyrannorum consuetudo, suam unice spectant gloriam militarem, civitatis floccifaciunt salutem. Quo fere factum, Romae praesertim, ut *militare* Reipublicae regimen, quod civili nitebatur conditione, in regimen abiret *militum*, et ipsa cum tyranno Respublica tota tandem a militibus penderet.

Stupenda fere fuerunt tyrannorum facinora; nam soli valebant totâ potentiâ Reipublicae suae. Sed fieri vix potuit, ut esse perseverarent, qua coeperant, conditione. Nam hoc est item tyrannorum proprium, ut vasta omnia agitent victoriarum consilia, et vana moliti, turpiter tandem labantur. Et mirum ita gentibus subinde spectaculum praebuerunt, ab ipso auctoritatis fastigio ad humillimam conditionem praecipites ruentes. Dionysius minor,

quod

quod observat Diodorus (1), qui quadringentas prius triremes habuerat, non multo post nave onerariâ, eâque non magnâ, Corinthum deportatus est, περιβλέπτον ἔχων. τὴν τῆς μεταβολῆς ὑπερβολὴν: *insigne praebens commutatae conditionis spectaculum.* Proverbii adeo vim accepit Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ, *Dionysius Corinthi.*

Sed tyrannidem hinc etiam cognosce. Probat Historia, peste illâ sublatâ, mirabiliter denuo viguisse populos. Corruerat jam Respublica Romana Caesaris tempore, ut, hoc interfecto, restitui non posset; sed integra etiamnunc, antiqui aetate Bruti, ut invaluit expulsis tyrannis! ut eluxit stupendis civium facinoribus! Atque, ut taceam Athenas, quae, occiso Hipparcho, a Persis defenderunt Graeciam et Graeciae obtinuerunt principatum: Syracusas respice, a Timoleonte liberatas, μισοτύραννων omnium et τυραννοκτόνων, quotquot unquam fuere, facile principe. Dominabantur quidem non amplius per totum orbem Graecum in Sicilia et Italia, ut majoris Dionysii temporibus; sed pace fruebantur ad communem omnium felicitatem efficacissimâ, quam felicitatem certatim celebrarunt historici. „ Quid multa?" ait Diodorus qui ipse erat Siculus, „ quum omnia per Siciliam summa cum tranquillitate et pace ordinaret et constitueret Timoleon, brevi effecit, ut civitates magnos ad felicitatem progressus facerent. Nam per dissidia bellaque intestina, quibus jam longo tempore Sicilia vexabatur, et per tyrannorum subinde excitatorum multitudinem, eo res pervenerat, ut

(1) XVI. 70.

ut urbes habitatoribus vacuae, agri cessante cultura vasti sterilesque et fructuum expertes jacerent. Cum vero colonorum frequentia tunc increbesceret, et diuturna pax per omnia vigeret, ager passim, operantium studio excultus, varios omnis generis fructus edere coepit: quibus magno cum emolumento mercatoribus venumdatis, mirum in modum brevi opes suas cumularunt. Quae rerum abundantia causa fuit, ut magnifica passim aedificia in honorem Deorum per illam aetatem exstruerentur." —

---

In disquisitione de historiâ et politicâ antiquâ, non potui non subinde recentiores gentes attingere. Nam nullum est historiae tempus, quin ex omnibus ejus temporibus illustretur: atque ut cognosci non potest Monarchia sine interiore veterum civitatum cognitione, sic antiqua politica mirifice declaratur Monarchiae comparatione. Sed locus hic de tyrannide et tyrannis sponte nos invitat, ut recentissimae historiae partem, ex ipsa disquisitione nostra, quodammodo illustremus.

Mirum fuit negotium in rebus gentium Europaearum Respublica illa Francica, quae praecedente saeculo apparuit. Aliis relinquimus, ejus caussas indagare. Sed e principiis, quae posuimus, explicare nobis facile videmur mirabilius etiam negotium, Napoleonticum imperium, quod Cromwelliano excepto, prorsus fuit in Europa singulare. Fuit illud nec Regium, quod antiquis dicebatur, nec Monarchicum, quod nobis Europaeis est naturâ proprium; sed, quod unice exsistere e Republica potest, Tyrannicum. Et quo magis animadvertimus in antiquis civitatibus ty-

ran-

rannidis ortum et progressum, eo nobis evidentius patebunt tyranni hujus a primis inde initiis progressus ad Consularem in Republica dignitatem, ad Imperatoriam etiam tandem auctoritatem et majestatem: ejusdemque inprimis consilia, studia, conamina, facinora; simillima illa prorsus veterum tyrannorum rationi, et expressa jam antiquitus, ut supra vidimus, mirabili illâ Platonicâ tyranni imagine.

Illustria fuerunt tempora, quae nuper viximus, praeclarissimis rebus gestis gentium Europaearum. Ex iisdem principiis politicis et haec videntur ducenda.

In Francia exstiterat Respublica illa, sed processerat simul rerumpublicarum et popularis regiminis studium per omnes propemodum gentes Europaeas. Quocirca quae inde nata est tyrannis, contenta non fuit urbis cujusdam moenibus, ut in Graecia ubivis: contenta non fuit sola Francia; sed complexa est, paucissimis exceptis, potentissimos quosque et florentissimos Europae populos. Languerunt hi diu gravissimo hoc morbo, pestium omnium longe atrocissimâ. Sed ea non erant conditione, qua gentes antiquo aevo Romanorum tyrannidi subjectae, molles maximam partem, vel incultae et barbarae. Evigilarunt denuo, grassante in dies magis tyrannide, et revixerunt plane libertatis ardore, quam armis iverunt vindicatum.

Et sic quidem evenit, quod unicum est in tota gentium historia exemplum, ut omnes omnino Europae nationes ex improviso conjungerentur communi foedere, ad causam vindicandam humanitatis, libertatis, justitiae: infinitae numero coalescerent ex omni Europae parte diversissimarum gentium copiae, non ad

populum quemdam inimicum opprimendum; sed ad *unum* expellendum *hominem*: imo vero, quod omnium maxime admirabile, armis resonaret per biennium universa Europa, eademque, *uno* ejecto illo, pace frueretur extemplo. Quae profecto nisi ex antiquarum Rerumpublicarum natura et exemplo cum repetantur tum illustrentur, quomodo explicari probabiliter possint, fateor me non perspicere.